DE

FABULIS ARCADIÆ

ANTIQUISSIMIS

DE

FABULIS ARCADIÆ

ANTIQUISSIMIS

DISSERUIT TABULAMQUE ADDIDIT

AD DOCTORIS GRADUM PROMOVENDUS

ALEXANDER BERTRAND

LICENTIATUS

Olim Gallicæ in Athenis scholæ professor.



Ἐς τὰ Ἀρκάδων προσεληλυθώς, πρόνοιαν τοιάνδε ἐλάμβανον. Ἑλλήνων τοὺς νομιζομένους σοφοὺς δι' αἰνιγμάτων πάλαι, καὶ οὐκ ἐκ τοῦ εὐθέος λέγειν τοὺς λόγους.

PAUSANIAS, VIII, 8.



PARISIIS

EX TYPIS PILLET, VIA DICTA DES GRANDS-AUGUSTINS, 5

M DCCC LIX

OPTIMO ET CLARISSIMO

F. DE SAULCY

IN ACADEMIA INSCRIPTIONUM XLVIRO

OFFERO HANC THESIM

REVERENTISSIMUS, GRATISSIMUS

A. B.

INDEX RERUM

PARS PRIOR

ARCADIA OCCIDENTALIS

PARS ALTERA

ARCADIA ORIENTALIS

QUÆ VULGO DE ARCADIA ORIENTALI TRADITA SINT

CONCLUSIO

DE

FABULIS ARCADIÆ

ANTIQUISSIMIS

PROŒMIUM

Quum illud inter doctissimos [1] hodie comprobatum videatur nullam institui posse græcæ mytholcgiæ scientiam nisi antea cognitum sit qui populi, quæ civitates a principio Græciæ partem unamquamque obtinuerint, qui Dii, qui cultus tunc præcipue viguerint, pro viribus meis, quod ad Arcadiam attinet, antiquissimas de diis, heroibus, urbiumque origine fabulas explorare mihi in animo est.

Facturus ne sim operæ pretium, si in tanta primorum temporum obscuritate quædam nova conjecerim quæ mihi vera aut simillima veris vidcantur, opus ipsum modo de-

1. Otf. Muller.—(*Wissenschaftliche Mythol.*, 1825), Guigniaut: *Religions de l'antiquité*; Curtius, *Peloponnesos*, Gotha, 1852; Gerhard, *Uber Griechenlands Wolkestämme and stammgottheiten*, Berlin, 1853.

clarabit : verum materia pulcherrima et uberrima est, nec ulla est in Græcia regio investigatione dignior; utpote quæ fere sola primarum ætatum mores ab omni alienigenarum gentium contactu inviolatos usque ad ultimum diem servaverit.

§ 1. *Cur Arcadiæ fabulæ in cognoscenda antiquissima Græciæ historia plurimum valeant?*

Antiquissimas Græciæ fabulas intelligere studenti hoc præcipue obstat quod non una omnium facies, non eadem natura est. Nihil enim aliud cogitantium menti primum occurrit nisi mixta confusio μύθων e diversis locis, e diversis populis originem ducentium. Neque aliter fieri potuit in ea terra tamdiu rerum mutationibus agitata, cujus fere omnes regiones a pluribus vicissim gentibus occupatæ fuere, donec una supra cæteras prævalente, qualem certiore historia novimus natio unaquæque exstitit. Quinimo celeberrimi populi Græciæ poeticis et historicis monumentis aliquando ditissimi frequentissimas pertubationes passi sunt.

Nam, si ad Bœotiam spectaveris, Ectenas, Aones, Temmicas, Hyantes, Phlegyas, Minyas, Cadmæos, Thraces numerabis [1], priusquam Bœoti e Thessalia ingruentes tota planitie potiti sunt [2]: nec omittere debeo quæ cum Ionibus, Phœnicibus, Eubœensibus, Eleusinis incolis, Megarensibus [3] commercia

1. Pausan., IX, 5. — Strabon, IX, p. 401.
2. Thucyd., I, 12.
3. J. Girard, *De Megarensium ingenio*, p. 20.

vetus Bœotia habuerit, unde permultæ variæque fabulæ, cærimoniæ permultæ in regionem influxere, quas victores denuo, non sine multis mendaciis, in unum collectas posteris reliquerunt. Idem fere in Attica utpote quæ victis omnium partium perpetuum et commune perfugium obtulerit [1], ut ab Eleusinis campis ad Marathona nec Pelasgi [2], nec Ægyptii [3], nec Azanes [4], nec Thraces [5], nec Cranai [6], nec Pallantiadæ [7], nec Chalcodontidæ [8] ante Heraclidas [9] et Iones [10] defuerint. Constat Megarenses primo Pelasgos fuisse, Cares dein Lelegesque regnasse apud eos, postea Iones, admixtis etiam Achæis Æoliisque, donec temporibus Codri Doriensium imperium prævaluit, ita tamen ut veteres incolæ non loco cesserint, quum jura victorum nomine κακῶν accepissent [11]. Epidauriorum, Trœzeniorumque littora aut montes, Ægyptii [12], Cares [13], Caucones, Phlegyæ [14], Æoles, Pelopidæ [15], Dorienses postremo obtinuere. Varias Argolidis vices nemo ignorat. Maritimæ omnes

1. Thucyd., I, c. II.
2. Pausan., *Att.* XXVIII.
3. Herod., II, 171.
4. Strabon., l. IX, p. 398.
5. Pausan., *Attic.*, XXXVIII.
6. Strab., IX, p. 397.
7. Strab., IX, p. 392.
8. Strab., X, p. 446.
9. Strab., VIII, p. 383.
10. Strab., IX, p. 391.
11. J. Girard, *De Meg. ing.*
12. Paus., II, 30.
13. Paus., I, 39, 40.
14. Paus., II, 26.
15. Paus., *locis citatis.* Herod., I, 9; VII, 8, 11. Diod., IV. 74.

Peloponesi oræ in eadem fere conditione fuerunt. Ubique Leleges [1], Cares [2], Caucones [3], Achæi [4], atque etiam Æoles [5], Iones [6], Phryges [7], Epei [8], vicissim dominati sunt : et factum est ut multi alii quos ignoramus e littoribus Asiæ in novam et apertam terram, insularum via, cretensibus ducibus immigrarint; unde necesse est ut fabularum, deorum, cærimoniarum indigesta conflata sit congeries : genealogiæ heroum præsertim et certamina deorum, gliscente in animos æmulatione prava, mire vitiata et adulterata sunt.

Quis vero in illa primorum temporum obscuritate suum cuique tribuere audeat? Quis deos et fabulas partiri, quarum nonnullæ ex tota parte mutatæ, aut nota recentiore procusæ sunt? Ubi sinceros *mythos* deprehendamus, quales e primarum ætatum conditione et quasi e patriæ terræ visceribus enati sunt? Nihil stabile habemus ubi firmiter insistamus, ut considerato cœlo, campis, montibus, omni circum jacente natura, vim veram mythicæ linguæ percipiamus. Qui fieri enim potuit ut illa florida quidem at rudi sane ætate mundi eadem esset in omni regione de diis et natura sentiendi et fingendi ratio? An qui vagi erant, qui certas sedes habuerunt, pastores, agricolæ, maritimi, montani, campestres sine vicis per agros divisi, aut congre-

1. Paus., III, c. 1, § 4; IV, c. 1, § 1; c. xxxvi, p. 1.
2. Paus., I, 39, 40; Herod., I, 171.
3. Strab., VIII, p. 345; Paus., IV, c. 1.
4. Strab., VIII, p. 363; Dion. Halic., *Ant. rom.*, I, 17; Paus., V, c. 1.
5. Strab., VIII, p. 333.
6. Paus., VII, 1; Strab., VIII, p. 833.
7. Thucyd., I, c. ix.
8. Paus., V, 1.

gati intra ejusdem oppidi mænia eadem lingua mythica usi sunt, eumdem subjecerunt mythis sensum? Lingua mythorum per se incerta est et discors, nec ullam secum mythi certam significationem trahunt. Alium in Arcadia sensum, alium in Bœotia, in Asia minore alium fabulæ eædem habere possunt; haud aliter ac ferrum non elaboratum alias militi cogitationes, alias agricolæ, servo alias in mentem injicit, quum primus arma inde et bellorum tumultus imaginatione prævideat, aratrum alter bidentemque et flava Cereris dona, vincula tantum tertius horreat : hæc est *mythorum* ut hieroglyphicæ linguæ mala conditio ut solis quasi *mystis* clara et manifesta sit. Quamobrem qui hæc abdita intelligere velit, nihil speret se de mythis ipsis excogitando posse conjicere quod sanum et probabile sit, nisi unus fiat ex antiquis illis hominibus, primarum ætatum vitam sibi animo representando : tum demum quid tradita valeant, forsan percipiet.

Quamcumque igitur noscere velis et penitus scrutari fabulam, scire primum refert e qua gente locove ea exorta sit, quam profundas in solum patrium radices immiserit, qua denique ætate maxime floruerit, utrum apud liberas et dominantes nationes viguerit, an apud servas, quæ nonnullarum fuit in Græcia vivendi conditio. Omnino enim quæ nullius loci, nullius sacri, nullius gentis fabulæ sunt, periculum est ne non e rebus ipsis et ex venerandæ antiquitatis memoria, sed e poetarum temeritate emanaverint. Qui unam regionem magnam amplectuntur nusquam nativi et, ut ita dicam, indigenæ mythi, nisi vetustissimi et a pri-

mis quasi incunabulis mundi ducti, novissimi et ficti magis quam antiqui et sinceri sint necesse

Num autem in Græcia regio nulla est quæ crebras illas invadentium populorum commotiones ignorarit, quæ nullam alienigenarum gentium occupationem passa veteres mores suos agrestis et pie rudis usque servaverit, nec deos nisi raro et invita receperit externos, Armoricæ nostræ ingenii tenacitate et constantia haud absimilis? Est terra illa quæ ab historiarum scriptoribus neglecta, vix delineata a Strabone, nobis tamen non adeo spissa caligine obtegitur ut nihil de ea possimus introspicere, quæ tanti pretii antiqua scrutantibus esse debet. Nam in Arcadia primos homines ante lunam natos fuisse poetæ prædicabant[1], quæ sola, ingruentibus Doriensibus, tranquilla et libera remanserit[2], sacra Pelasgorum servans inviolata[3]. Nullus eos postea hostis e patria pellere potuit aut in servitutem redigere, qui mediis

1. Ante Jovem genitum terras habuisse feruntur
Arcades et luna gens prior illa fuit.
Ovid., FAST., II, 290. Cf. Hell. *frag.*, 77.

Cf. Paus., V, 1; VIII, 1; Apoll. Rhod., *Argon.*, IV, 264.

2. Ἡρακλειδῶν δὲ κατελθόντων, Πελοπόννησος ἐταράχθη πᾶσα πλὴν Ἀρκάδων. Paus., II, 13.

Μάλιστα δὲ τῆς γῆς ἡ ἀρίστη ἀεὶ τὰς μεταβολὰς τῶν οἰκητόρων εἶχεν, ἥ τε νῦν Θεσσαλία καλουμένη, καὶ Βοιωτία Πελοποννήσου τε τὰ πολλὰ πλὴν Ἀρκαδίας. Thucyd., I, 2.

3. Herod., II, 171; Αἱ Δαναοῦ θυγατέρες ἦσαν αἱ τὴν τελέτην Δήμητρος ἐξ Αἰγύπτου ἐξαγαγοῦσαι καὶ διδάξασαι τὰς Πελασγιώτιδας γυναῖκας. Μετὰ δὲ ἐξαναστάσης πάσης Πελοποννήσου ὑπὸ Δωριέων ἐξαπώλετο ἡ τελετή, οἱ δὲ ὑπολειφθέντες Πελοποννησίων, καὶ οὐκ ἐξαναστάντες Ἀρκάδες διέσωσαν αὐτὴν μοῦνοι.

in montibus et sylvis suis, procul ab omni externorum commercio rudes et agrestes vivere non desierunt, ut ante persica bella, nullis fere cæterorum Græcorum rebus immixti fuerint. Secundo ante Christum sæculo Arcades fuisse semper eosdem Polybii testimonio constat [1]; nec alii, post multos annos, videntur apud Pausaniam, qui Lycæi Jovem et nigram Cererem Phigaliæ non sine magna religione invisebat [2].

Apud Arcades igitur, si usquam, primorum populorum Græciæ fabulas deprehendere licet, nequaquam adulteratas, quas quidem nec a λογογράφοις, nec a dramaticis poetis corruptas, Pausanias sincerus ille rerum divinarum fautor ex ore vulgi aut sacerdotum acceptas nobis tradidit. Illud amplius contigit ut viator ille noster superstitiose pius nulla prætermiserit templa, nullum vetus ligneum, marmoreum, æneum signum, nullos fontes sacros aut saxa et arbores, ut et regionis quæ natura sit noscere (suum locis eloquium est) et fabulas vestigiis persequi possimus nec non monumenta et urbes animo repræsentare. Ex ea naturæ, fabularum, monumentorum, rerum divinarum collatione aliquod lumen posse oriri credidimus.

De qua re eo majorem fiduciam habuimus quo manifestius Pausanias affirmat se tum primum in Arcadia *mythorum* vis vera quæ fuerit intellexisse. Nam postquam diu Græcorum poetas, quibus de diis et heroibus fabulas narrare in mentem venisset, futilitatis plurimæ arguerat, ad Arcadum

1. Polyb., *passim, et præsertim*, IV, 5.
2. Paus., l. VIII.

res progresso, hujusmodi fabularum causa attentius considerata, statuere ei necesse fuit, qui apud Græcos sapientiæ nomen meruissent, eos de industria quarumdam rerum narrationes ambagibus involvere voluisse [1].

Quum igitur regionem illam fere totam ipsi peragrare beneficio patriæ potuerimus, quum mores Arcadum non omnino sint ignoti, fabulæque multæ veteres nec sensu carentes nobis traditæ sint, non absurdum fore credidimus si, delineata carptim regionis figura, fabulas et mythos, quoad fieri potest, introspicere voluerimus.

Quum autem diversas Arcadiæ partes planius cognoscere conaremur, fere idem quod olim Pausanias et nos ipsi experti sumus. Veterum populorum effigies ante oculos nobis assurgere visa est: vitam novam et populorum illorum propriam percepimus; multarum rerum rationem nos introspicere credidimus : quæ Pelasgis, quæ Thracibus, quæ filiis Ἕλληνος in constituenda Græcia præcipue deberentur, arbitrati sumus clarius patere. Utinam falsis imaginibus non delusi simus.

Non possumus Arcadiam omnem hic describere, nec unamquamque fabulam longius persequi, aut singulorum deorum scrutari naturam, quod operis hujus propositum excederet; eo vero labore freti in quem curam nostram jam diu impendimus, quæ de primorum temporum monumentis, historia, religione, moribus, fabulis, certissima videantur breviter exponere instituimus.

1. Paus., VIII, c. 8. Ἐς τὰ Ἀρκάδων προσεληλυθὼς πρόνοιαν τοιάνδε ἐλάμβανον· Ἑλλήνων τοὺς νομιζομένους σοφοὺς δι' αἰνιγμάτων πάλαι,, καὶ οὐκ ἐκ τοῦ εὐθέος λέγειν τοὺς λόγους.

§ 2. *In duas partes præcipuas Arcadiam dividendam esse.*

Antiquas Arcadiæ vices in primis commentatur rerumque causas explicat ipsa regionis natura. Tabula in qua montes, campos, flumina, urbes, oppida, vicos, templa, τεμένη, haberes curiose inscripta qualia in principio erant, aspectu ipso quid fabulæ valerent, denuntiaret. Oculis enim et menti statim occureret quam variæ, sub ipsa similitudinis specie, gentes Arcadiæ ab origine fuerint, quam diversa et separata uniuscujusque civitatis historia, quam vero secum concordans, donec vatum mendaciis in corpus unum cuncta male redacta sint, et non ordinata sed mixta potius contra veritatem.

Non una enim facies est Arcadiæ; etsi montium et vallium perpetua serie, ab Argivorum finibus usque ad Eleos campos, omnis regio continetur, quæ pars ad Megalopolis agros, sacra Lycæi juga, vallesque Ladonis attinet, figuram suam habet propriam, superioris et orientalis Arcadiæ, Crathidis, Cyllenes, Artemisii vere dissimilem: nec aspectu locorum tantummodo sed urbium situ, fontium, fluviorumque natura varia, incolarum moribus, figuris, nominibusque deorum duæ partes illæ Arcadiæ inter se differunt. Hoc primum viatori pro manifesto est, dummodo Polybium Pausaniamque ducem in itinere faciendo sequatur: nec scientia ab illa divisione abhorret [1].

1. Puillon Boblaye, *Expéd. de Morée*, p 138 : « On peut diviser l'Arcadie sous le rapport de la géographie naturelle en deux parties principales : l'une au levant est la région des bassins sans issue, à niveaux élevés,

Hinc Arcadiam habes montosam, sylvestrem, humidam, feris, lupis, ursis, aprinis porcis plenam, bellicosam autem, aptam ad arma, unde viri libentius ad tempus exeunt duram vitæ conditionem militia externa toleraturi, montium suorum tamen usque memores, ad quos morituri redeunt; Arcadiam illinc asperam minus, pacatioremque et quasi humiliorem; ubi cuncta melius composita, vita facilior, securiorque esse videtur, intercisam vero vallibus et quasi minutam, natam ad tranquillitatem et silentium.

Has regiones duas situ adeo diversas gentes antiqua consanguinitate junctæ longe aliis tamen moribus et fortuna, ante hominum memoriam obtinuisse videntur, quarum prior paulatim alteri cessit victa oppressaque, nunquam tamen exstincta, antiquissimorum populorum vivens exemplum servatura. Unde fit ut duplex mihi videatur fore indagatio mea, quæ erit divisio hujus operis.

1° De Arcadia occidentali;

2° De Arcadia orientali.

l'autre à l'occident embrasse tout le bassin de l'Alphée et de ses grands affluents. »

PARS PRIOR

ARCADIA OCCIDENTALIS

1° REGIO LYCÆI, 2° LADONIS ET ERYMANTHI VALLES

Quæ ad occidentem vergit Arcadia, et ipsa in partes duas natura dividitur. quarum præcipua Lycæi regio est : Ladonis valles altera continet : nec inutile visum est unamquamque separatim persequi ut res clarius pateat. Frustra enim uno aspectu occidentalis Arcadiæ historiam amplecti velis : multiplex quiddam est in ea quod divisionem desiderat.

Convalles Lycæi primum adibimus, quod nemo mirabitur quum huc omnes de primis temporibus fabulæ nos ducere videantur, ubi laudatam illam *quam primam sol aspexit urbem* [1] Lycosuram invenimus : ubi primum floruisse constat vetustissimas non solum Arcadiæ sed Græciæ omnis civitates [2], de quo Arcades gloriabantur, nec contradicebant cæteræ Peloponnesi gentes. Ibi Pelasgus, Lycaon filiique ejus, ibi Ζεὺς Λυκαῖος. ibi Δημήτηρ. magna Pelasgorum nu-

1. Paus., VIII, 1, 38.
2. Strab., VIII, p. 388.

mina, sedes suas habuere præcipuas. Imo mystica quadam natura valebat Lycæus, quasi Olympus alter [1].

Primum igitur quæ de regione illa vulgo tradita sint exponemus breviter, deinde quum locorum naturam, urbium, oppidorum, templorum ruinas, numina denique consideraverimus, quæ de moribus primorum incolarum verisimilia reliquerint antiqui videbimus, ut tandem, historia auxiliante, quid de fabulis pertinentibus ad Lycæum credendum sit concludendo demonstremus.

REGIO LYCÆI

PELASGIA SEU LYCAONIA

§ 1. *Quæ de Lycæi regione vulgo traderentur.*

Pelasgum primum legimus e terra genitum [2] aut filium Jovis [3] in Arcadia regnasse, *a quo tota regio Pelasgia* appellata sit [4]. Quam habuerit sedem certam ignoramus, Cyllenem enim alii [5], alii Parrhasiam (Parrhasia Lycæi pars est [6]) uxorem duxisse ferunt. Quidquid id est, Lycaoni filio moriens regnum reliquit, qui Lycæi juga, sine controversia, obtinet. Lycosuram oppidum Lycaon *in monte Lycæo*

1. Paus., VIII, 38. Τὸ ὄρος ἐστὶ τὸ Λύκαιον· καλοῦσι δὲ αὐτὸ καὶ Ὄλυμπον, καὶ ἱεράν γε ἕτεροι τῶν Ἀρκάδων κορυφήν.
2. Paus., VIII, 1. Hesiod., *Frag.*, 100. Eschyl. supp., v. 243.
3. Apoll., III, 8, 1.
4. Paus., VIII, 4; cf. Plin., *Hist. nat.*, IV, 10.
5. Apoll., III, 8, 1.
6. Steph. Byz., v. Παῤῥασία. Sch. Eurip., *Orest.*, v. 1646. Paus., VIII, 27.

condidit, Δία Lycæum appellavit, ludosque in ejus honorem *Lycæos* instituit[1].

Hæc ætas Lycæo aurea fuisse videtur[2]. Nam quum multos e diversis uxoribus Lycaon filios genuisset[3], oppida omnes, pleraque circa Lycosuram, *in regione Lycæi*, muniere[4]; Phigaliam Phigalus, Daseam Dascatas, Trapezunta Trapezeus excitarunt. Thocniam Thocnus condidit, Acacus Acacesium. Ab Helissone Helisson, Macaria a Macareo, ab Hipsunte Hipsus, Cromi a Cromo nomen habuere; Charisia Charisium auctorem perhibebat. Tricoloni a Tricolono, Peræthenses a Peræthо, Asæa ab Asæate, a Lycæo Lycæa, a Sumatio Sumatia, postremo ab Aliphero et Heræo urbes nomina et origines accepere. Unus exulavit: natu minimus Œnotrus, pecunia et viris a fratre Nyctimo acceptis, classe in Italiam trajecit: a quo fuit ea in qua consedit terra Œnotria vocitata. Si famæ creditur, nulla Lycaonis filiis progenies fuit.

Post Lycaonis filios regnum suscepit Callistus filius Arcas[5], *a quo et ipsa quæ ante dicebatur Pelasgia terra, Arcadia, et qui Pelasgi et Lycaones fuerunt Arcades nominati*[6].

1. Paus., VIII, 2.

2. Paus., VIII, 3. Τρίτῃ δὲ ὕστερον γενεᾷ μετὰ Πελασγὸν ἔς τε πόλεων καὶ ἐς ἀνθρώπων πλῆθος ἐπέδωκεν ἡ χώρα.

3. Paus., VIII, 3; cf. Apoll., III, 8.

4. Paus., VIII, loc cit.

5. De patre Callistus ambigitur, nam quum apud Pausaniam (VIII, 3), unica Lycaonis filia Callisto habeatur, e nymphis una apud Hesiodum (Apoll., III, 82), filia Nyctei apud Asium (Apoll., loc. cit.), Cetei apud Pherecydem (Apoll., loc. cit.) fuisse dicitur; cf. Sch. Eurip., *Oreste*, v. 1646.

6. Paus., VIII, 4. Ἀπὸ τούτου δὲ βασιλεύσαντος Ἀρκαδία τε ἀντί

Jam cum Arcade extra Lycæi fines sumus. Arcas enim infans aut Mercurio (Ἑρμεῖ)[1], Cyllenes deo[2], aut Maiæ[3] nymphæ Cyllenes[4] educandus datur : filii Arcadis et Azaniam (*Ladonis valles*) et Cyllenem et Tegeam occupant : de Lycæo siletur[5].

Quidquid in Arcadia actum postea memoratur ad septentrionem et orientem spectat, præterquam quod Clitor Arcadis pronepos Lycosuræ, Hippothous Trapezunte, post trojanum bellum sedem regiam habuere[6]. Alii reges, qui multi fuere[7] Lycaoniam potius invisisse quam habitasse videntur. A Phialo tamen Phigalia Phiala olim dicta fuit[8], Phialum vero Phigaliæ regnasse nemo affirmat. Basilida in Lycæo Cypselus condidit[9]. In summa vero quod pelasgicum erat præcipue intra Lycæi fines contineri, quod arcadicum omne extra fuisse videtur. Quinimo occidentalem Arcadiæ partem Homero ignotam esse credideris, qui Cyllenem, Phœneum, Orchomenum, Ripen, Enispen, Tegeam,

Πελασγίας ἡ χώρα, καὶ ἀντὶ Πελασγῶν Ἀρκάδες ἐκλήθησαν οἱ ἄνθρωποι.

1. Paus., VIII, 3.
2. Vide *infra*.
3. Apollod, III, 8, 2.
4. Vide *infra*.
5. Paus., VIII, 4. Τοῖς δὲ παισίν, ὡς ηὐξήθησαν, διένειμεν Ἀρκὰς τριχῆ τὴν χωραν, και ἀπὸ μὲν Ἀζᾶνος ἡ Ἀζανία μοῖρα ὠνομάσθη. Ἀφείδας δὲ Τεγεὰν καὶ τὴν προσεχῆ ταύτῃ ἔλαχεν. Ἔλατος δὲ ἔσχ. τὸ ὄρος τὴν Κυλλήνην.
6. Paus., VIII, 5.
7. Vide *infra*, p.
8. Paus., VIII, 5.
9. Paus., VIII, 29.

Mantineam, Stymphalum[1], nullam certam Lycæi urbem nominet[2].

Hic finis fabularum. Hinc historia initium capit, quæ nos quoque ad orientem transferri jubebit[3].

§ 2. *Locorum natura.*

Regionis illius in qua Pelasgi et Lycaones floruisse primum narrantur quæ natura sit ante omnia quærendum est. Lycæi regio præcipue invia et clausa est. Megalopolis agros et Alphæi ripas vix reliquisti quum multæ sese excipiunt convalles, nullis inter se viis certis junctæ, quarum singulæ in modum cyathi cavatæ, super eminente corona arborum, purisque irrigantibus rivulis, ipsæ per se e se et parvuli regni effigiem præstare videntur, cui fines suos natura præscripserit. Mediis in collibus frumentum, imis hordeum virescit : platani circa fontes, castaneæ quercusque in clivis adolescunt : in altis jugis prata inexpectata patent, et Julio mense, solis ardore nundum adusta, ita ut nec aquæ, nec ligna, nec fruges, nec pecoribus enutriendis herbæ convallem unamquamque incolentibus desint. Sola patentior est Megalopolitanorum planities, iisdem fere naturæ muneribus ornata, nisi quod sol in ea ut in omni planitie magna aliquando ferventior est.

1. Hom., *Iliad.*, II, 603.

2. De Parrhasia urbe nihil certum habemus. Parrhasia enim apud Homerum Tegeæ adjungitur καὶ Τεγέην εἶχον, καὶ Παῤῥασίαν ἐνέμοντο· nonnulli credunt de regione quadam Lycæi non de urbe Homerum locutum esse.

3. Vide *infra*, p.

E summo Lycæi cacumine in circum jacentes terras, montes, colles, valles camposque ita despectus est, ut omnem partem illam Arcadiæ Lycæi Deus supereminens custodire videatur.

Hanc regionem omnem unam et ab aliis natura separatam esse sentis, variam vero intus et adeo divisam ut nulli magno imperio, multis vero potius civitatibus parvis in ea locus sit, quibus res suæ quo arctiores eo cariores, ut solet, esse debeant : præterea octingentos circiter passus, non amplius, Lycæi loca editissima alta sunt, quæ raro nive albent : unde fit ut incolis duram montanorum vitam degere non necesse sit : nullos frigus per necessitatem pellit domo, aut hiems tenet a vicinis terris interclusos : pecudes tantum, interdum, malæ tempestatis sævitia pereunt, maximo pastorum detrimento, quibus opes parvæ, spes nulla. Manifestum est enim minutas illas et invias valles nequaquam iis convenire quibus commercium aut arma curæ sunt. In eis sedibus ignotam natura vitam jubet ducere, æterno silentio coopertam. Non aliter in iisdem locis hodie vivitur.

§ 3. *Veterum urbium situs; ruinæ.*

Locorum notitia multum, multum etiam ruinarum ad illustrandam primorum temporum historiam valet : quæ exstent adhuc, quæ fuerint quondam monumenta aut situs urbium scire magni momenti est.

Alta Lycæi juga, qua itur ad Karytenam mecum ascende, octavoque Pausaniæ libro revoluto regionem circa totam

perlustra oculis et mente, ita tamen ut ne novem aut decem millia ultra eas. Inde si ad meridiem spectas, habes prospectum camporum in planitiem extensorum quos transfluit Alpheus amnis et alti circumcludunt undique montes, in quorum jugis clivisque non minus sexdecim veterum urbium rudera aut sedes non ambiguas notabis. Dextra, in monte, Trapezunta[1], Lycæam[2], Acacesium[3], Daseam[4], Lycosuram[5], cui proxima Despænæ[6] ædes est; sinistra Tricolonos[7], Thocniam[8], Hæmonem[9], Aseam[10] in anfractibus Mænali positas: in planitie aut ad imos montes Charisiam[11], Basilida[12], Macariam[13], Cromos[14]: post terga,

1. Paus., VIII, 29. Ἐρείπια Τραπεζοῦντός ἐστι. Cf. Leake, *Morea*, II, c. XVIII.

2. Paus., VIII, 27.

3. Paus., VIII, 36. Ὑπὸ τῷ Ἀκακησίῳ λόφῳ πόλις ἦν Ἀκακήσιον.

4. Paus., VIII, 3, 27, 37. Ἐρείπια τὰ Δασέων.

5. Paus., VIII, 38. Ἀνωτέρω δὲ ὀλίγον τείχους τε περίβολος τῆς Λυκοσούρας ἐστί, καὶ οἰκήτορες ἔνεισιν οὐ πολλοί. Cf. Paus., VIII, 2, 4, 27; Leake, II, c. XVIII.

6. Paus., VIII, 37, 38.

7. Paus., VIII, 3, 27, 35. Πόλις δὲ ἦσαν καὶ οἱ Τρικόλωνοί ποτε.

8. Paus., VIII, 27, 29. Ἐπὶ Θωκνίαν ἀφίξῃ, τὸ ὄνομα ἀπὸ Θώκνου τοῦ Λυκάονος ἔχουσαν, ἐς ἅπαν δὲ ἐφ' ἡμῶν ἔρημον.

9. Paus., VIII, 44. Καὶ μετὰ ταῦτα Αἱμονιαὶ πόλις ἦσαν τὸ ἀρχαῖον. οἰκιστὴς δὲ Αἵμων ἐγένετο αὐταῖς ὁ Λυκάονος· διαμεμένηκε δὲ ἐς τόδε Αἱμονιὰς τὸ χωρίον τοῦτο ὀνομάζεσθαι.

10. Paus., VIII. Ἐρείπια, 'Ασέας. Cf. Paus., VIII, 3, 27.

11. Paus., VIII, 3, 35. Χαρισίων ὑπομνήματά ἐστιν οὐ πολλά.

12. Paus., VIII, 29. Βάθους σταδίους ὡς δέκα ἀφέστηκε καλουμένη Βασιλίς. Ἐπ' ἐμοῦ δὲ ἐρείπια ἡ Βασιλὶς ἦν.

13. Paus., VIII, 3, 27, 36. Μετὰ δύο ἀπὸ τοῦ Ἀλφειοῦ σταδίους Μακαρέων ἐστὶν ἐρείπια.

14. Paus., VIII, 3, 27, 34. Κρώμωνος πόλεως παντάπασι τὰ ἐρείπιά ἐστιν ἐξίτηλα.

nec adeo longe Thisoam [1], Teuthim [2], Gortynaque invenies.

Quod si velis paulo majorem circuitum amplecti, ita tamen ut aliquot horæ et huic itineri faciendo sufficiant, dextra Melæneam [3], Heræam [4], Alipheram [5], Phigaliam [6], sinistra Thyreum [7], Hypsunta [8], Zœtiam [9], Paroriam [10], Helissona [11], Peraetheum [12], Sumatiam [13], Mænalum [14], duodecim nempe altera oppida numerabis, quæ si prioribus adjicias

1. Paus., VIII, 38. Ἀπὸ τῆς Θεισόας πόλις ᾠκεῖτο ἐν τῇ Παῤῥασίᾳ τὰ δὲ ἐπ' ἐμοῦ μοίρας τῆς Μεγαλοπολίτιδός ἐστιν ἡ Θεισόα κωμη.

2. Paus., VIII, 27, 28. Κώμη Τευθίς ἐστι· πάλαι δὲ ἦν πόλισμα.

3. Paus., VIII, 3, 26. Εἰσὶ Μελαινεαί. Ταύτας ᾤκισε μὲν Μελαινεὺς ὁ Λυκάονος· ἔρημος δὲ ἦν ἐφ' ἡμῶν.

4. Paus., VIII, 26. Ἡραιεῦσιν οἰκιστὴς μὲν γέγονεν Ἡραιεὺς ὁ Λυκάονος, κεῖται δὲ ἡ πόλις κ. τ. λ. Cf. v, 3. Leake, *Morea*, 11. p. 91.

5. Paus., VIII, 26. Ἔστι δὲ Ἀλιφήρα πόλισμα οὐ μέγα Cf. Polyb. IV. c. 17. Leake, *Morea*, 11, c. XVIII.

6. Paus., VIII, 39. Ἀνδρὶ δὲ ἰόντι ἐς Φιγαλίαν κ. τ. λ. Cf. Leake, *Morea*, I, p. 489.

7. Paus., VIII, 35. Ἐρείπια δὲ πόλεων καὶ ἄλλα. Θυραίου μὲν.

8. Paus., VIII, 35. Τά δὲ Ὑψοῦντος ἐρείπια ἐστίν ἐν ὄρει.

9. Paus., VIII, 27, 35. Ζοιτίαν δὲ ἀπωτέρω μὲν Τρικολώνων Ζοιτέα οἰκίσαι τὸν Τρικολωνου λέγουσι (Tricolonus filius Lycaonis erat) ἔρημος δὲ καὶ ἐς ἐμὲ ἦν.

10. Paus., VIII, 35. Παρωριάν Παρωρεὺς ὁ νεώτερος Τρικολώνου ἔκτισεν. ἔρημος δὲ καὶ ἐς ἐμὲ ἦν.

11. Paus., VIII, 30. Ἑλίσσων ἀρχόμενος ἐκ κώμης ὁμωνύμου.

12. Paus., VIII, 36. Ἄλλα τε ἐρείπια Περαιθέων.

13. Paus., VIII, 36. Ἐν δὲ τοῖς κατὰ μεσημβρίαν τοῦ ὄρους Σουματίο ᾤκιστο. Cf. VIII, 3.

14. Paus., VIII, 3. Ὀνομαστοτάτη τὸ ἀρχαῖον Μαίναλος. Id. 36. Λείπεται δὲ καὶ αὐτῆς ἔτι ἐρείπια Μαινάλου.

octo et viginti circa Karytenam vetera conglomerata habes oppida, quorum quædam vix mille passus inter se distabant [1] : *oppida parva et contigua in montibus* [2].

Paucæ jam ex tot urbibus supererant temporibus Pausaniæ [3]; nullæ fere hodie ruinæ remanent. Illa pelasgicarum urbium rudera frustra quæras. Neminem enim fugit quales viatori videantur Tirynthi et Mycænarum ruinæ; muri illi, Cyclopum opus, rudibus lapidibus exstructi quorum singuli ea magnitudine sunt ut ne minimus quidem eorum jumentorum bigis loco moveri possit [4]. Nihil tale in Lycæo. Omnium urbium quas nominavimus nulla castellum, nulla arx vocari potest. Quin imo quæ erant in planitie aut radicibus montium nulla vestigia reliquere, utpote quæ nihil aliud quam magalium conglobatio essent [5]. Quæ mediis aut summis in montibus eminebant una aut altera adhuc antiquissimorum murorum parte distinguuntur, quam recentior ædificatio novorum lapidum longa et diversa serie continet. Heræam, Lycosuram, Alipheram vix agnoscas: Phigalia sola altioribus munitionibus circumdatur quæ et latiori ambitu et figura turrium multo magis Αἰλίγαα Lyciæ [6] quam Mycænarum mœnia referunt. Omnis enim collis usque ad vallem et Nedam amnem circuitu murorum cingitur: neque rationem ædificandi intuentibus satis patet utrum

1. Cf. Leake, *Morea*, II, c. XXVIII.
2. Dionys., Halic., vide *infra*, p. 36.
3. Vide *supra* notas.
4. Paus., II, 25. Cf. Leake, *Morea*.
5. Vide *infra* : « De primorum populorum moribus. »
6. Cf. Texier, *Voyage en Asie Mineure*.

primæ Pelasgorum ætati sint attribuendi an Hellenum secundæ, quod multo probabilius est: neque mirer urbem, quæ fines extremos regionis tenet, munitam aliquando fuisse, quæ a principio mœnibus nuda fuisset. Longe tamen abest a propugnaculis quæ Argolidis fauces defendunt. Quam debiles fuerint primæ illæ urbes, quam a more εὐρυαγυιῶν πτολιέθρων distantes, insuper denuntiat numerus ipse κωμῶν quæ ad condendam Megalopolin sunt eversæ [1].

Constat igitur multas in regione Lycæi sed eas parvas urbes aut vicos potius a principio extitisse, plerosque sine muris aut ulla alia munitione contra hostes: oppugnati incolæ ad montium cacumina confugiebant [2]; Lycosuram et Phigaliam, sanctissimas urbes et a principio, pro oppidis habere potuerunt; de quo tamen nihil ausim affirmare.

§ 4. *Numina regionis.*

Quum nulla templorum vestigia supersint quæ ad tempus satis antiquum pertineant, nihil de monumentis dicemus, de diis vero, quæ *Lycaoniæ* prima tempora ad mentem revocare possunt apud Pausaniam breviter colligemus. Dii enim singuli, pro sua parte, qui in Lycaonia Lycæi colebantur, *Lycaonum* naturam nobis denuntiant.

Dii septem omnino in illa de qua nunc agimus regione antiquitus floruisse videntur [3]. Duo autem et antiquissimos

1. Paus., VIII, 27.

2. Idem vivendi mos apud Gallos erat, ut legitur apud Polybium (II, c. xvii): « Qui vicatim habitabant sine muris. » ᾤκουν δὲ κατὰ κώμας ἀτειχίστους.

3. Ζεύς, Δημήτηρ, Πάν, Ποσειδῶν, Ἄρτεμις Καλλιστώ, Ἀθήνη, Ἥρα.

et communes omnibus præcipue, magnæque auctoritatis fuisse in aperto est : Διά nempe Λυκαῖον et Δήμητρα pluribus ornatam nominibus. Quædam autem numina et ea inclyta ex tota parte absunt [1].

Zeus (Ζεύς).

Deum Lycæi omnes novere, quem filium ætheris a filio Saturni (Κρόνου) plane differre Tullius affirmat [2] :

« *Hoc sublime candens quem invocant omnes Jovem.* »

Fulgureus [3], Lucidus [4], cæteris superior, in summo Lycæi montis vertice, nullis demissis unquam locis inhabitans, sine templis, sine statuis, cui pro templis cœlum et aer, luce siderea splendidus, notam quamdam certam et propriam habet. Neque hæc priscis temporibus tantum. Eadem de deo Pausanias audiit, vidit eadem (si quidquam videre fas erat) « *In supremo enim omnium Lycæi jugo terræ editissimus tumulus erat; in eo* Λυκάιου Διὸς *ara. unde omnis prope Peloponnesus prospiciebatur. Ante aram duæ pilæ* (κίονες) *eminebant ad solis exortum: insistebant aquilæ inauratæ : ad hanc aram Jovi in operto faciebant.* » Qui sacri ritus essent exquirere non ausus est Pausanias curiosus tamen at terrore plenus, de quo fateri videtur exclamans : ἐχέτω δὲ, ὡς ἔχει, και ὡς ἔσχεν ἐξαρχῆς [5]. Magnus deus sane et excelsus, Pelasgico Dodonæ deo haud absimilis, crudelis vero et interdum sanguinis amans, nec a barbarie temporum abhorrens. Humanas enim

1. Κρόνος, Λητω, Διόνυσος, Ἀπόλλων, Ἄρης, Ἥφαιστος, Ἅδης.
2. Cic., *De Nat. deor.*, III, 22.
3. Hygin., *fab.* 176; Ovide, *Metam.*, I, v. 230.
4. Λυκαῖος. Cf. Maury, *Relig. de la Grèce*, I, 62.
5. Paus., VIII, 38.

hostias deo oblatas esse ferebatur, neque unquam obliti sunt Arcades veteris sacri terrorem [1].

Deum habemus vere *Pelasgicum*, *Lycaonium*, *Lycæum*: de hoc nulli dubitant.

Demeter (Δημήτηρ).

Nunc mecum a jugis Lycæi ad montem humiliorem descende; ibi Δηώ nigra dea latet, haud procul a Phigalia, antri sacri profunda tenens [2]. Quæ Δηώ Phigaliæ, Δημήτηρ Lycosuræ [3], Δημήτηρ ἔριννυς Thelpusæ eadem vocabatur [4]; huic fructus terræ, vellera pecudum, favi dabantur dono [5], ut deæ quæ arbores ederet, protegeret pecora, apes.

Γᾶ καρποὺς ἀνίει, διὸ κλήζετε ματέρα γαῖαν [6].

Post cœlum igitur deum splendentem, Λυκαῖον [7], terram matrem [8], nigram [9], frugiferam [10] Pelasgi Lycæi colebant.

Nulla dea in tam multis locis apud Lycaonas adorabatur. Δήμητρος antiquæ cultus non solum Lycosuræ, Phigaliæ, sed Trapezunte etiam [11], prope Megalopolim ἐν Ἕλει [12] quo solis

1. Paus., VIII, 2. Theophrastus apud Porphyrium. *De abstinentia ab esu animalium*, liv. II, c. XXVIII.

2. Paus., VIII, 42. Δήμητρος δὲ ἄντρον αὐτόθι.

3. Paus., VIII, 27.

4. Paus., VIII, 25.

5. Paus., VIII, 42. καὶ ἔθυσα τῇ Δήμητρι καθὰ καὶ οἱ ἐπιχώριοι νομίζουσιν οὐδὲν· τὰ δὲ ἀπὸ τῶν δένδρων τῶν ἡμέρων, τάτε ἄλλα. κ. τλ.

6. Paus., X, 12. Pind., *Olymp.*, VII, 70.

7. Cf. Maury, *Relig. de la Grèce*, I, 59.

8. Γῆ-μήτηρ.

9. Cf. Maury, p. 73. Paus., *locis citatis*.

10. Paus., I, 44.

11. Paus., VIII, 29.

12. Paus., VIII, 36.

mulieribus ingredi fas erat, Paroriæ [1], Pallanti [2] a Pausania notatur. Nec addo quæ de Cerere Eleusinia, de magnis deabus, de Despæna, Cerere illa altera [3], retulit, quanquam omnes vinculo arctissimo Δήμητρι conjunguntur. Quid multa? Διί non magis quam Δήμητρι regio Lycæi dicata erat.

Hoc moveor insuper quod nullis urbibus aut ἀκροπόλεσι dea includitur. Pro templis antra [4], lucos [5], megara [6] habet; quod haud incertum antiquitatis signum arbitror. Δημήτηρ sicut Ζεὺς omnibus communis nec ab ullo præoccupata videtur : gentis dea, non nationis aut civitatis unius est.

Quæ de dea propriæ fabulæ narrabantur antiquissimam ipsæ ætatem redolebant. Concubitus cum Neptuno, filius Arion, ira deæ ad vetustissimam mythologiam mentem revocant [7]. Nec loci deæ sacri mirabilibus carebant : in valle scilicet cui Βάθος nomen, ubi tertio quoque anno initia Δήμητρι peragebantur, vulgatum inter Arcades erat cum diis ibi, non alias, præliatos esse gigantes : rem itaque divinam fulguribus, procellis et tonitribus ἐν Βάθει incolæ faciebant [8].

Διὸς et Δήμητρος religiones concordare inter se et principem in *Lycæo*, ut apud Pelasgos Samothraciæ [9], locum te-

1. Paus., VIII, 36.
2. Paus., VIII, 44.
3. Paus., VIII, 37.
4. Paus., VIII, 42, *loco citato*.
5. Paus., VIII, 36.
6. Paus., VIII, 37. Ἐν δεξιᾷ Μέγαρόν ἐστι καλούμενον.
7. Cf. Maury, *Relig. de l'Ant.* I, p. 86, 87, Paus., VIII, 25, 32.
8. Paus., VIII, 29.
9. Terent., Varro, *De ling. lat.*, l. IV, p. 17, ed. Bip. Principes dii cœ-

nuisse negari posse vix crediderim : *principes* in utraque regione *dii Cœlum et Terra.*

Pan (Πάν).

Quum nihil de Despœna dicere statuerimus quæ a Cerere disjungi non potest et quanquam maxima dea [1] nullum nobis auxilium ad cognoscendam regionis religionem affert, de *Pane deo* nunc quærendum. Πανά enim tertiam apud *Lycaones*, post Δία, post Δήμητρα locum obtinuisse non dubito, quod Pausaniæ verba nec pauca, nec incerta testantur. Pani deo, æque ac potentissimis quibusque, et hominum vota rata facere et meritis improbos pœnis afficere attributum erat [2]. Ardebat deo ignis perpetuus : quin et oracula priscis temporibus edebat [3]. Pani in Lycæo lucus erat; adjacebat Hippodromus, Hippodromo stadium in quo jam tum ab initio Λυκαῖα celebrabantur [4]. Pan enim Arcadibus indigena deus erat [5]. Templa Πανός apud Heræenses [6], Peræthei in Megalopolitanorum planitie [7], haud procul a *Megaro* Δήμητρος Acacesii [8], Lycosuræ in summis Lycæi jugis [9] Pausanias in-

lum et terra. Terra enim et cœlum, ut Samothracum initia docent, sunt dei magni et hi quos dixi multis nominibus. — (Id est in Ægypto Serapis et Isis, Tautes et Astarte apud Phœnices, in Latio Saturnus et Ops.) Cf. Maury, I, 67.

1. Paus., VIII, 37. Ταύτην μάλιστα θεῶν σεβουσιν οἱ Ἀρκάδες.
2. Paus., VIII, 37.
3. Paus., VIII, 37.
4. Paus., VIII, 38.
5. Paus., VIII, 26.
6. Paus., VIII, 26.
7. Paus., VIII, 36.
8. Paus., VIII, 37.
9. Paus., VIII, 38.

visit. Pani Mænalus mons omnis dicatus [1], atque etiam per alios Arcadiæ montes, quum venaretur, errabat deus, et in Lycæo [2] calamos more pastorum inflabat [3]; ut et indigena et potens, et vitæ incolarum socius et in omnibus *Lycaoniæ* partibus honoratus, auctore Pausania, esset Πάν. Nonnulla etiam cultum antiquissimum denuntiant [4].

Διί et Δήμητρι Πάν adjungendus, qui possit natura sua quæ fuerint antiqua *Lycaoniæ* tempora declarare.

§ 5. *Numina alia de quorum cultu antiquo in Lycaonia mentionem facit Pausanias.*

Quatuor restant numina quorum cultus in Lycaonia antiquissimus, quibus vero locus longe inferior, multæ adhuc statuæ, rariora templa, quæ a prioribus quasi pendere et per occasionem, non per se ipsa adorari videntur. Duo præsertim ea conditione coluntur ut unius aut alterius pagi aut urbis propria, non toti genti communia ea dicas. Quinimo si fabulas quæ ad numina illa spectant propius consideraveris, inquilinas omnes non indigenas esse suspicabere, ita tamen ut nota consanguinitatis antiquæ inter omnia hæc numina semper maneat, nec a *Jove* et *Cerere* aliena sint : incolarum vero vitæ convenientia minus ea sentis, familiaria minus : non jam in communionem quotidianæ vitæ venisse videntur.

1. Paus., VIII, 36.
2. Paus., VIII, 42.
3. Paus., VIII, 38.
4. Maury, *Relig. de la Grèce antique*, I, 110.

Ποσειδῶν, Καλλιστὼ, Ἀθήνη, Ἥρα.

Neptunus (Ποσειδῶν)

Unum templum Ποσειδῶνος invenit in Lycaonia Pausanias (nihil enim dicam de templo *Neptuni* Megalopolitano: quum recens esset civitas, cultus ideo recens); nam apud Tricolonos erat in colle templum Neptuni cum quadrato signo; lucus templum ambibat[1] multis opacus arboribus. A vetustissimis numinibus nullo modo abhorrere videbatur deus : societate vero cum Cerere et Despœna præcipue clarus erat in Lycaonia. Ex commercio enim Neptuni cum Cerere non Arion tantum sed filia hæc nata dicebatur quam Despœnæ, id est dominæ nomine designabant : verum deæ nomen profanis prodere nefas erat[2]. In Despœnæ luco, *Acacesii*, altare erat ejus parenti *Neptuno hippio* sacrum[3] : namque nusquam Neptunus in Arcadia occidentali deus ille maris est et Oceani quem novimus : ubique fontium numen est currentiumque aquarum, lacuum, gurgitum, nubium[4], quod aquis dulcibus imperat, ea quæ gignuntur e terra et animalia tuetur[5], Φυτάλμιον[6], γενέθλιον[7], Ἵππιον[8], non frater Jovis, fere semper cum Cerere conjunctum. Propter Cererem aut Despœnam non per se videtur in Lycaonia coli : antiquis fabulis potius quam vitæ inco-

1. Paus., VIII, 35.
2. Paus., VIII, 25.
3. Paus., VIII, 37.
4. Maury, *Relig. de la Grece antique*, I, 95.
5. E. Burnouf, *de Neptuni cultu* (1850).
6. Paus., VIII, 25.
7. Paus., III, 15.
8. Cf. Maury, I, 85.

larum immixtum Ποσειδῶνα credideris. Celebrabatur enim Thelpusiana fabula per omnem Lycaoniam, Phigaliæ, Acacesii, apud Tricolonos, ubique [1].

Vetus igitur deus est in Lycaonia Neptunus, vetustissimorum mythorum particeps, sed quasi nondum e cœlo in terram emissus, Ποσειδῶνος θαλασσίου et Homerici longe dissimilis.

Ἄρτεμις Καλλιστώ.

Quum sex essent in Lycaonia templa dicata Artemidi nihil tamen invenimus in ea regione quod deæ proprium sit. Cereri obnoxia Artemis est in Lycaonia ut Neptunus. Templa ei sane multa, nulla magna et, ut ita dicam, dominantia [2]. Cereris filia habebatur [3]. In illo celeberrimo Despœnæ templo quod viginti stadia ab Alphæo distabat, Cereris solio assidebat Artemis pelle cervina induta cum pharetra et sagittis : circum canes venatici discumbebant [4] : venationis enim præses erat et a principio. Dubito autem an non fuerit deæ nomen prius in Lycaonia Artemis ; Καλλιστὼ vocabatur [5] : quod nomen filiæ Lycaonis etiam dabant [6]. Καλλιστὼ Cereris filia fontium et nemorum amans vera de qua agimus Lycaonum dea mihi fuisse videtur. Artemis Arcadica erat [7].

Minerva (Ἀθήνη).

1. Cf. Paus., *locis citatis*. E. Burnouf, *de Neptuno, pars tertia*.
2. Paus., VIII, 35, 36, 40.
3. Paus., VIII, 37.
4. Paus., VIII, *loc. cit.*
5. Paus., VIII, 35.
6. Paus., VIII, 3.
7. Vide *infra*.

« Alipheræ ædes Ἀθήνης est, quam quod apud se natam et educatam prædicant, præcipuis dignantur honoribus : et Alipheræ fons Trito dictus, de quo quidquid de Tritone fluvio vulgatur, incolæ narrant [1]. » « Pagus Theutis est, oppidum olim, ubi signum Ἀθήνης, saucio femore. Ad bellum trojanum ducem hinc missum memorant, qui dicitur Ἀθήνης femur percussisse. Inde nullos jam in ea Arcadiæ parte fructus e terra editos. Interjecto dehinc tempore e Dodona oraculum redditum ut deam placarent. Faciendum itaque oppidani signum curarunt, saucio femore [2]. » « Haud procul ab Asea, in Boreo monte vestigia quædam inveniuntur templi Ἀθήνη σωτείρᾳ καὶ Ποσειδῶνι post trojanum bellum ab Ulysse dicati [3]. » « Hæmoniis recta pergenti Χωρίον est *Athenæum* dictum : in læva hujus parte Ἀθήνης delubrum est cum signo lapideo [4] ».

Hæc de *Minerva* Pausanias in Lycaonia aut vidit aut audiit, quæ mihi argumento sunt veterem sane fuisse deam apud Lycaones Ἀθήνην, non tamen adeo popularem ; quippe quæ et peregrinum Tritonis fluvii nomen Alipheræ usurpaverit, et Trojani belli fabulis, non Lycaoniis rebus immixta sit. Consideranti autem Alipheram non urbem tantum sed et arcem et oppidum esse, templumque deæ in arce locatum et fabulas omnes ad bella pertinere, hoc mihi in mentem

3. Paus., VIII, 26.
4. Paus., VIII, 28.
1. Paus., VIII, 44.
2. Paus., VIII, 44.
3. Paus., II. 30.

venit Ἀθήνην ibi eamdem fuisse quæ Πολίας Athenis[1], Πολίατις Lacedemone vocabatur [2], longe a Jove, a Cerere, a Pane Lycæi diversam, ut antiqua Pelasgorum dea potius fuerit quam Lycaonia, quum Lycaonibus nec arma nec arces sed fructus terræ et pecora curæ fuisse videantur.

Ἥρα.

Pauca invenimus de *Minerva* in Lycaonia, pauciora de Hera. Heræenses soli fanum Heræ dicaverant, de quo rudera tantum et columnæ temporibus Pausaniæ erant reliqua. Nihil viatori de dea narratum in Lycaonia habemus, nec de ea hic loquerer, nisi nomen ipsum urbis Heræ antiquum ibi fuisse Heræ templum denuntiaret. Non credo tamen *Heram* apud Lycaones multum valuisse, quæ mihi fere nihil cum dea Argolidis et magna Jovis uxore commune a principio habuisse videtur.

§ 6. *Numina de quibus dubitatio est.*

Sunt numina duo de quibus Pausanias loquitur, quæ non antiquum in Lycaonia cultum obtinuisse crediderim, quanquam aliqua dubitatio est. Ἀσκληπιὸς et Ἀφροδίτη templa habent apud Lycaones non adeo recentia, sed in extremis regionis finibus posita et quasi adventicia. Nulla fabula de iis in Lycaonia celebrabatur [3].

1. Paus., VIII, 47. Cf. Polyb., IV, 9.
2. Paus., VIII, 26.
3. Cf. Paus., VIII, 26, 28, 34.

§ 7. *Numina quæ non colebantur, primis temporibus, in Lycaonia.*

Absunt omnino, nec Lycaonibus nota fuisse videntur principio Κρόνος, Λητὼ, Διόνυσος, Ἑρμῆς, Ἀπόλλων, Ἄρης, Ἥφαιστος, Ἅδης, magna sane numina et apud Hesiodum et apud Homerum celebrata; unde nonnulla arbitramur concludenda.

§ 8. *De natura mythorum in Lycaonia.*

Quod si non numina tantum sed et *mythos* ipsos considero, hoc primum animadverto nihil habuisse Lycaones canendum de certaminibus deorum, nihil de heroibus. Castorem, Pollucem, Herculem ignorant. Nihil de Deucalione, Prometheo, Danao, Pelope, Diomede apud eos narratum invenimus : trojanum bellum vix nominatum [1]. Quæ carmina igitur in Lycaonia vulgabantur, quæ de primis temporibus commenta? Nihil Pausanias apud eos collegit quod non ad antiquissimorum *mythorum* naturam pertineret. De Buphago, Japeti filio [2], de Gigantibus [3] dicebant. Mutata in equam Ceres, amores Neptuni, filius Arion, ira deæ memorabantur; quæ omnia ad rerum quarumdam significationem non modo ad poesim et temerariam fingendi licentiam spectabant. Est enim in *mythis* illis aliquid non modo antiquissimum, sed simplex, unum sa-

1. Paus., VIII, 28, 44.
2. Paus., VIII, 27.
3. Paus., VIII, 29.

numque; quod recentibus doctorum hominum laboribus in Germania una et in Gallia pene jam exploratum credo[1] : in via certe quæ ducit ad veritatem insistitur.

§ 9. *Quæ antiqui de moribus primorum populorum Græciæ et præcipue Lycaonum tradiderint.*

Quum nihil fere sciamus de Lycaonum moribus nisi quod conjectura assequi licet, qui fuerint in Græcia primorum populorum mores diversi breviter explorare necesse est, ut res Lycaoniæ et Arcadiæ omnis magis pateant. Quanquam enim nullus est apud antiquos qui nobis veterum populorum vitam vel ad summam delineaverit, comparatis quæ apud Thucydidem, Xenophontem, Aristotelem invenimus, observatis recentiorum populorum moribus, ut Gallorum Germanorumque, quales a Cæsare et Tacito traditi sunt, necnon et hodierna *Serborum*, *Albanorum*, *Circassorum*,

1. Cf Guigniaut, *Religions de l'antiquité.*

Alfred Maury, *Hist. des religions de la Grèce antique*, t. I, et peculiariter, pag. 86, ubi hæc legimus : « Le dieu soleil habitant au milieu des nues, l'Hiranyagarbha des Vedas et la déesse védique Dâsapatni, qui personnifiait l'eau du nuage, se retrouvent dans le Poseidon et le Despœna des vieux mythes arcadiens. L'allégorie est encore transparente quoique déjà un peu voilée. L'océan des nues étant devenu chez les populations émigrées vers l'ouest l'océan des mers, et le dieu des nues s'étant changé en dieu des eaux, l'action du soleil sur le nuage que le chantre védique compare à un coursier, et la fécondation de la terre par l'eau du ciel donnèrent naissance en Arcadie au mythe de l'union de Démèter et de Poseidon, produisant d'un côté le cheval Arion, et de l'autre Despœna. Saranyû, la personnification des nuages orageux, devient la Démèter-Erynnis. »

Cf. Weber, *Indische studien*, t. I, p. 321.

Lois de Manou, I, 9, trad. Loiseleur-Deslongchamps, p. 3.

Kabylorum vivendi ratione considerata, qui vita agresti et rustica adhuc agunt, quamdam antiquorum populorum effigiem fingere nobis animo possumus.

Per totam regionem errabant primi incolæ, nomadum more [1], pascua quærentes uberrima, montium juga æstate, hieme campos et convexa vallium tenentes ubi mollior aer et herba armentis enutriendis melior [2]. Nulla civitas, urbs nulla adhuc exstabat in Græcia, nihil nisi familiæ magnæ quas Græce Thucydides ἔθνη nuncupat, nomine suo quæque utentes [3] omniaque habentes communia, utpote quæ et fratrum et propinquorum societate constarent. Omnes nationis partes arctissimis inter se vinculis conjungi necesse erat, quum nullam vim, nullam vivendi facultatem separatim habere potuissent. Vivebat natio vigebatque, privati nihil valebant.

Dum vero aliæ ab aliis nationes premuntur, propelluntur-que, validissima quæque certam sedem occupat [4] : vicos locant, subterraneos specus aperiunt [5] suffugium hiemi et receptaculum frugibus, pascua notant hiemalia æstivaque, quæ jam occupata servant et sua vocant : ut nihil fere a prima consuetudine nationis errantis abhorreat, nisi quod certas sedes habet et futuri est securior. Ut fons, ut nemus, ut campus placuit, familia suam quæque sedem ponit, val-

1. Thucyd., I, 2.
2. Hic mos hodie adhuc *Vlakorum* est in Thessalia.
3. Thucyd., I, 3. Cf. Arist., *Polit.*, liv. II, chap. I., § 5, 6.
4. Thucyd., liv. I, 2, 3, 4.
5. Cf. Tacit., *German.*, c. 16. Varro, *de Re rust.*, I, 57. — Diod. Sic., V, 21.

lium et montium partem usurpatione potius quam fœdere sibi arrogans. Certis tantum diebus in unum coeunt omnes vici ut numina gentis adorent communiter, quæ aut locorum silentium aut altitudo montium aut speluncarum profunda protegunt.

Interdum pecorum cultu miscetur agricultura cui præcipue feminæ curam dant, dum viri securitati omnium invigilant, venatui aut bello se dedunt. Cum agricultura ita privatæ possessiones oriuntur, ut major pars publici juris maneat[1]. Diversis nominibus πολιτεῖαι instituuntur, id est, civitatis quædam temperatio qua cuncta communi omnium utilitati subjiciuntur, quæ ratio rerum simplex nullam urbium magnitudinem aut ordinum varietatem requirit[2] Vici nascuntur : connexi inter se vici pagos constituunt : nec casus aut fortuita conglobatio vicos aut pagos facit, sed familiæ et propinquitates. Paulatim parvas civitates habes quæ rivulis terminantur aut intra convallis spatium singulæ continentur. Oppida tantum quædam munita opportunis locis deligun ur, in quæ contra subitam hostium irruptionem civitates cum opibus suis et pecoribus sese recipere possint. Post breve tempus nullus exstat idoneus locus nomadibus.

Nationes autem quæ agriculturam oderunt, venatum, bellum, vagam et errantem vitam amantes, quanquam latius errare jam non licet, liberiorem tamen vitam degere pergunt. Familias eas dispersas per montes σποράδην οὐ κατὰ κωμας habi-

1. Arist., *Polit.*, liv. VII, ch. II, § 5, 6.
2. Cf. Arist., *Polit.*, liv. VII, ch. I, § 4, ch. II, § 1.

tantes invenias [1], apud quas nec πολιτεῖαι, nec instituta, nec πόλεις ullæ oriuntur : Πλῆθος vix ἔθνος dicas, nullo alio vinculo conglobatum nisi antiquæ consanguinitatis memoria, eorumdem locorum et deorum consuetudine. Quod si quando dux manu et ingenio potens multitudinem illam ad bellum cogere audet, vastatores urbium aut gentium domitores fiunt; vectigalia nonnunquam finitimis imponunt, regionis totius reges esse videntur. Rudioribus et armatis πολιτείας melius constitutas obedire necesse est. E nationibus iisdem olim quasi e seminario mercenarii milites exibunt.

Regiones vero sunt quædam, ubi bellicosarum civitatum irruptionibus rerum facies omnino mutatur. Victores imperant : serviunt cæteri. Arces aut castella imminentia campis et faucibus montium imponuntur, agricolis terror una et perfugium; ubi divitiæ principum, sacræ ædes, numina propria includuntur. Campestrium incolis omnia tunc quasi ex arce descendere videntur : ex arce pendet omnis homo, sive timet, sive sperat, sive precatur, quanquam nonnunquam vetera pastorum et agricolarum numina procul ab arce seclusa in montium latebris potestatem suam servavere, bellum aliquando dominantium diis illatura.

Quæ fuerat simplex antea civitas ita duplex incipit esse. Duplices etiam fabulæ esse incipiunt, sine ulla confusione tamen, dummodo carmina non misceantur temere. Nam et, a principio, carmina apud Græciæ populos valuisse constat, qui quanquam rudes et agrestes nec ulla arte politi

1. Arist., *Polit.*, liv. II, ch. I, § 5. — Herod., V, 6.

musicam tamen amabant et noverant cantus quibus originem gentis et civitatis conditores una cum diis et patria celebrarent.

Ad summam primis illis temporibus, pastorum, agricolarum, bellatorum magnas familias habes, quæ singulæ unum eumdemque vitæ tenorem morumque admirabilem constantiam servant; quibus hoc peculiare est ut omnes in unaquaque civitate eadem vita uti et nihil nisi per patrium et traditum morem agere videantur. Quas nominamus respublicas et imperia nulla adhuc in Græcia erant, nec non urbium multiplex temperatio ignorabatur: nulla inter diversas civitates mercatura nisi per mare cum peregrinis; paucæ artes quarumdam tribuum aut familiarum propriæ, nihil quod non quasi immobile fuerit.

Huic temporum primorum conditioni successit tandem nova et multo uberior vivendi ratio. Nascuntur πόλεις, respublicæ instituuntur, in quibus unum sed multiplex pastorum, agricolarum, mercatorum, artificum, bellatorum corpus e diversis partibus conflatur. Quod præcipue commercio in littoribus usitatum mox latius extenditur. Franguntur antiquæ civitates: religiones, fabulæ, mores miscentur: e simplice varia facta est πόλις. Qui in prima ætate liberius floruerant mythi excidunt aut abolentur, quorum servatur tantum forma et figura carminibus. Restant quoque aliquando veterum familiarum nomina: familiæ enim ipsæ novis vivendi conditionibus undique opprimuntur. Paucæ longe ab omni vitæ humanioris cultu relictæ in remotis montium vallibus vivere perseverant.

DE LYCAONIBUS

Quod ad Lycaones proprie attinet, historici antiqui fere omnes tacent. De Pelasgis tantum loquuntur, quos primos Arcadiæ incolas fuisse apud omnes constat. « Ἀπὸ Ἄρκαδος βασιλεύσαντος Ἀρκαδία ἀντὶ Πελασγίας ἡ χώρα καὶ ἀντὶ Πελασγῶν Ἄρκαδες ἐκλήθησαν οἱ ἄνθρωποι[1]. » Unus (Μυθολόγους enim omittere debeo), Dionysius Halicarnassensis de Lycaonia et Lycaonibus clare pronuntiat, nec verba ejus a fabulis dissentiunt. Hæc scilicet in primo *antiquitatum romanarum* libro legimus, quæ notatu digna sunt : « Œnotrus in Italiam e Græcia migravit, sui patrimonii portione non contentus. Relicta Peloponneso, classe parata, Ionium mare trajecit. Multi populares eum secuti sunt cum quibus ad sinum occidentale latus Italiæ alluentem appulit, qui tunc ausonius ab accolis Ausonibus dicebatur. Nactus autem amplam regionem pascuis, amplamque arationi aptam, sed maxima ex parte desertam, ac ne illam quidem quæ incolebatur magno hominum numero frequentatam, quadam ejus parte a barbaris purgata *urbes parvas et contiguas in montibus condidit;* qui mos condendi veteribus familiaris fuit. Tota autem illa ampla regio quam tenuit Œnotria vocata est, omnesque quibus imperavit, nomine mutato, Œnotri sunt appellati : nam antea *Lycaones* dicti erant (Λυκάονες ὠνομάσθησαν[2].) » In secundo libro eadem : « *Genus autem Œno-*

1. Paus., VIII, 4.
2. Dion. Halic., I, c. XI et XII.

trium arcadicum erat, quod ex ea terra quæ tunc Lycaonia vocabatur, jam vero Arcadia, sponte sua profectum erat [1]. » Nec una in Græcia regio Lycaonia nuncupabatur : Lycaoniam aliam in Asia minore invenimus, quo patet hoc nomen gentis non hominis proprium esse [2]. Lycaones Asiæ minoris a Lycaonibus Arcadiæ non alieni credebantur.

Illud igitur pro certo habere possumus in antiqua Pelasgia *Arcadica* ἔθνος fuisse quod *Lycaones* nominabatur. Urbes parvas et contiguas in montibus Lycaones habitasse ex Dionysii loco jure conjici potest. Eosdem suspicor, cæso publice homine, barbari ritus horrenda celebrasse primordia, mira naturæ humanæ diversitate, quum ex alia parte pii et generosi fuisse videantur. Apud Porphyrium enim testimonium Theophrasti servatur quo manifestum est Arcades Jovi Lycæo usque ad ætatem hujus philosophi homine litare solitos esse [3].

Nihil aliud de Lycaonibus memoratum novimus.

§ 10. *De constantia morum et inertia Lycaoniæ.*

Licet Lycaones e regione Lycæi numquam pulsi fuisse videantur, negari non potest parum eos, temporibus historicis, in Arcadia valuisse, qui nec bello, nec artibus, nec commercio floruisse dicantur. Extra fines suos nihil po-

1. Dion. Halic., II, c. I.
2. Xenoph., *Cyr.*, VI, 10, 11. — Anabase, I, 11, 19; VII, 8, 1.
3. Porph., *de Abstinentia ab esu animalium*, liv. II, § 27, p. 150, 1767, in-4°.

terant incolæ Lycæi, parum intra, nisi quum ageretur de libertate et αὐτονομίᾳ civitatum defendenda. Multum tamen abest ut nullam vim habuerint et viri fuerint nullius pretii Arcades *Lycaoniæ*. Parvæ civitates Lycæi erant non contemnendæ. Quis Oresthasiorum devotionem non miretur sese morti ultro pro salute Phigaliæ offerentium, testimonium haud incertum magnitudinis animi[1]? Non parvam certe pietatem erga deos habebant qui pauperes sumptibus suis Ἀπόλλωνος ἐπικουρίου templum erexerunt[2]. Ex Aristotelis loco de Heræa[3] manifestum est nonnullam apud eos fuisse reipublicæ disciplinam. Quam multas vero urbes usque ad ultima tempora servaverint e pluribus octavi libri Pausaniæ capitibus constat[4], quas urbes quidem melius parvas civitates dicas, quum τὴν Λυκαιάτιδα, τὴν Τραπεζουντίαν, τὴν Ὑψοῦντιδα, τὴν Κρωμίτιδα haud aliter ac Παῤῥασίαν Pausanias nominet[5].

Vera autem debilitatis hujus et inertiæ Lycaoniæ causa intelligi potest, quum Lycomedi et Epaminondæ Megalopolim condere instituentibus Lycaoniam fere totam adeo acriter obstitisse notum sit. Debilitatem scilicet et humilitatem suam unaquæque civitas amabat, sentiens statum rerum veterem mutari non posse quin una et traditi mores et religio et familiarum communiones et usus vitæ antiquæ omnis aboleretur. Nimirum vigebat adhuc apud

1. Paus., VIII, 39.
2. Paus., VIII, 41.
3. Arist., *Polit.*, V, 3.
4. Paus., VIII, *passim*.
5. Paus., VIII, 29, 30, 34. 35.

civitates illas firmum hoc vinculum quo antiqua ἔθνη connectebantur usque tenax, quod nisi ferro frangi non poterat. Ea enim conditio erat primarum civitatum quæ maxime ex pastoribus et agricolis constabant, ut possent facile et cito ad quem iam humanioris vitæ gradum pervenire, eum vero transgredi, sine omnium rerum mutatione, nequaquam possent. Immobiles igitur, fere a principio, fiebant. Secundo ante Christum sæculo eosdem Arcades Lycæi ac temporibus Homeri aut antea fuisse non dubito. Quum enim vetus illa civitatum disciplina quam colebant nihil commune, nihil congruens haberet cum Græciæ novæ rebus, firma autem et cohærens adeo esset, nequaquam fieri potest ut non e primorum temporum moribus originem traxerit. In Græcia recentiore, antiquissimæ Græciæ effigiem Arcades Lycæi præbebant.

FABULAS CUM REBUS CONCORDARE.

Quum hæc omnia, quæcumque potui, de regione Lycæi collegerim, nonnulla, nisi fallor, de Lycaonum historia simillima veris statuere possum.

Nullam aliam unquam hominum gentem nisi Pelasgos Lycæi regionem obtinuisse arbitror. Ii primi juga montis vallesque occupavere. Quum autem Pelasgi Græciam fere totam tunc incolerent, et nomine proprio unaquæque natio uteretur, Pelasgi Lycæi, proprie Lycaones, regio ipsa Lycaonia dicebatur.

Inter diversa Pelasgorum ἔθνη Lycaones in primis noma-

dum vitam reliquisse crediderim et, locis certis notatis, vicos (κώμας) instituisse, qui numero ad viginti octo, ne dicam amplius, pervenere. Vivendi ratio omnibus simplex et eadem pastorum potius quam agricolarum. Numina duo dominantia vetustissima, *Cœlum* et *Terra;* Pan pecoribus præerat. Poseidon enim, Athene, Callisto, Hera, alia Pelasgorum numina nec adeo proprie, nec adeo communiter apud Lycaones in honore videntur fuisse. Ignorabantur autem Ἀπόλλων, Ἄρτεμις, Ἑρμῆς, Ἥφαιστος, Λητω, Ἀσκληπιός, Ἅδης, Διόνυσος, Ἀφροδίτη, Ἄρης.

Quæ vulgabantur carmina, miræ illa antiquitatis, non de bello et certaminibus heroum sed de mirabilibus deorum prodigiis agebant. Humanæ hostiæ diis offerebantur. Coloniam, temporibus illis, missam esse in Italiam vix dubitari potest.

Crescentes paulatim singulas civitates major in diem terræ suæ amor invadebat. Quæ enim debuerit esse communis hujus vitæ vivida vis et mutua consuetudo facile intelligere potest quisquis agrestium populorum mores penitus introspexit, præsertim in inviis illis montium regionibus. Laborum, difficultatum, dolorum, religionum in iisdem locis societas inter consanguineos adeo valet, ut nihil in ea vivendi conditione durum videatur, dummodo nec fontes notos, nec obscura sylvarum, nec valles amatas relinquere necessse sit. Quod adhuc ipsi Græci sentiunt qui montes illos incendio et vastatione multo minus fertiles pinguioribus campis et lenociniis urbium anteferunt. Mox suæ cuique civitati leges fuerant, instituta propria, fabulæ quibus a

cæteris distingueretur. Quot vici et urbes, tot fere civitatum capita, inter quas nulla ad agendum communiter societas firma fieri poterat, nisi contra hostes externos ut propellerentur : ad id unum tendebant omnes ut nihil in regione mutaretur.

Venit dies tamen quum cæteris non Græciæ tantum sed et fere totius Arcadiæ gentibus inferiores exstitere : vetere amisso nomine, vectigales *Arcadum* facti, vitam magis ignotam et obscuram degere perrexerunt; unde non mirum est quod nullam propriam historiam regio habet, quæ post prima tempora longum videtur somniasse somnium sub veterum numinum præsidio.

Jam vero non adeo mihi obscuræ de regione Lycæi fabulæ videntur. Quum antiquum esset consanguinitatis vinculum inter omnes Lycaoniæ civitates easque constaret e Pelagisco genere originem primam traxisse, primus gentis auctor Pelasgus dictus est. Quæ omnibus Pelasgorum ἔθνεσιν et in Arcadia et extra Arcadiam communes erant vivendi facultates a Pelasgo primum eas inventas esse affirmabatur. Lycaones vero a Pelasgis non nihil differebant; valebant per se, vitæ humanioris jam participes : inde fama fuit alterum exstitisse gentis conditorem, cui omnes Lycaones hanc vitam propriam deberent, qua constituti erant et a cæteris agrestioribus Pelasgis discernebantur; quod a veritate forsan non adeo distat, quum multum ubique in primis civitatibus constituendis duces valuerint. Eadem dicendi et sentiendi consuetudine quot erant in Lycaonia tribus et civitates, tot filii Lycaonis numerati sunt. Quod si

tribus una exulaverat, ut mos erat priscis temporibus. coloniamque instituerat stabilem, non e familia Lycaonia segregata est, filii tantum natu minimi esse dicta est. Nihil est quod possit in illa vivendi natura depingenda et clarius et propius naturæ dici; quod speramus neminem negaturum, quum, in altera operis hujus parte, quam Lycaonibus dissimiles fuerint Arcades, quam variæ fuerint fabulæ, ostenderimus.

Fabula qua Lycaones dicebantur infantem in honorem Jovis mactavisse e moribus Lycaonum originem ducebat humanis hostiis litare solitorum. Cur nulla Lycaonis filiis progenies data sit melius infra intelligemus.

Hanc igitur vim propriam habet Lycaonum genealogia ut nobis indicet quibus locis vivere non desierit vetus illa pelasgicæ stirpis propago. Haud aliter hodie in Græcia possunt notari albanicæ gentis pagi nequaquam cæteris Græcis immixti. Nec veram nec falsam dicere debes veterem illam de Pelasgo, Lycaone, Lycaonibusque fabulam, quæ, primo aspectu, apud *mythologos*, nihil menti certum afferre posse, nec per se ipsa quidquam valere videtur; accuratius autem intuenti nonnulla significat quæ primorum temporum rebus aliquam lucem afferant.

II. — REGIO LADONIS

AZANIA

§ 1. *Locorum natura.*

Quod si nunc e Lycæo ad septentrionem versus et Erymanthi Ladonisque ripas secutus naturam locorum circa considerabis, elatiores paulatim videbis assurgere montes vallesque in longitudinem, ut cedunt obsistuntve prominentia montium, inæqualiter extendi; nullus fere dextra sinistrave prospectus viatori datur. Frequentioribus sylvis vestita juga mireris, quæ alia ex aliis nascentia nullum præbent convallibus locum. Situs non modo urbibus, sed ne vicis quidem condendis reperias. Nulla desertis in ripis sepulta oppida dormire videntur. Rudera castellorum tantum, nec multa, faucibus montium imminentia videre est; quæ in regionis præsidium viarumque tutelam extructa fuisse ruinarum et loci natura satis significat. Flumina interdum e montium faucibus præcipitantur et inter abruptas et viridantes ripas fluunt. Gramen undique tenax, quod alunt aquæ, luxuriatur. Veram illam Arcadiam poetarum dicas, nisi hiemali tempore paulo immitius cœlum sæviat. Pholoe et Erymanthus tamen vix habitabiles nisi feris, quum Pholoe densis hirsuta sylvis, et difficilis aditu, Erymanthus vero lapidosus maxime et arborum pene nudus sit[1]. Ad summam, fingere animo potes hanc partem

1. Cf. Burnouf, *de Neptuno.*

Arcadiæ perpetuis constare montibus plerisque aviis, inter quos flumina quædam vias sibi virides erumpendo aperuere. Nullos variarum civitatum fines certos ibi solo locorum aspectu determinare licet.

§ 2. *Quæ de regione Ladonis vulgo tradita sint.*

Nihil de vallibus Ladonis et Erymanthi memorabatur quod spectaret ad Lycaones. Novam gentem, novos mores ibi invenimus : Lycaones Azanes excipiunt.

Ladonis enim et Erymanthi valles primum *Azana* obtinuisse celebrabant Arcades, a quo regio Azania vocata erat[1]. De regno Azanis nihil ad nos pervenit. Funebrium tamen ludorum qui, defuncto rege, facti fuerant, famam per omnem Græciam vulgatam nonnullæ fabulæ testantur[2].

Post Azana Clitor regnum habet, qui urbem *Clitora* de suo nomine condidit, quanquam Lycosuræ regiam constituerat. « *Regnum Clitoris*, ut illis temporibus, *omnium potentissimum*[3]. » Clitori nulla progenies fuit. Hinc jam non de Azanibus sed de Arcadibus agitur ; de *Azania* actum est.

E quo genere Azan et Clitor originem ducerent nemini clarum fuisse videtur. Pausanias Azana tertium Arcadis, Clitora Azanis unicum filium fuisse dicit. Apollodorus de Azane tacet, Clitora Lycaoni filium assignat[4]. De ludis

1. Paus., VIII.
2. Paus., V, 1 ; VIII, 4.
3. Paus., VIII.
4. Apollod., III, 8.

funebribus contra omnes consentiunt « Haud scio an alii ludi facti sint, inquit Pausanias, de equiriis certe affirmare possum [1]. »

Est autem alia fabula de qua mentionem facere necesse est : Autolaum scilicet, nothum Arcadis filium, Erymanthi valles una cum Azane habitasse, ibique Æsculapium infantem eduxisse. *Azanis* inde Æsculapii mater vocabatur [2].

Non plura de Azania omni novimus.

§ 3. *Veterum urbium situs, ruinæ.*

Ἔστι δὲ μοῖρα τῆς Ἀρκαδίας ἡ Ἀζανία· διῄρηται δὲ εἰς τρία, Παῤῥασίους, Ἀζᾶνας, Τραπεζουντίους· καὶ ἔχει ἡ Ἀζανία πόλεις ἑπτὰ καὶ δέκα [3].

Has septemdecim urbes frustra quæras in vallibus Ladonis et Erymanthi. Quum vero Τραπεζουντίους et Παῤῥασίους una Stephanus cum Azanibus misceat, quod primis Græciæ temporibus minus convenire crediderim, Trapezunta, Phigaliam, Lycosuram, Pellanam, multa alia oppida extra Azaniæ propriæ fines adnumeres necesse est ut Stephano assentias. Fieri sane potest ut Azanes urbibus illis aliquando potiti sint, qui videntur regionem totam post Lycaones occupasse ; Lycosuram enim Phigaliamque oppida, quum munita essent, regionis dominos omnes vicissim tenuisse in aperto est. Quod si Azaniam unam consideraveris de qua nunc agimus, intra valles Ladonis et Ery-

1. Paus., *locis citatis.*
2. *Hym. a Apoll.*, V, 209.
3. Steph. Byz., s. v. Ἀζανία.

manthi conclusam, Pausaniamque non Stephanum secutus eris, paucas omnino urbes in hac regione invenies, tres tantum de quibus certum aliquid habeas, Thelpusam, Clitora, Psophim [1]. Thelpulsæ ruinæ nullæ exstant, nisi fractæ quædam veterum templorum columnæ [2] : temporibus Pausaniæ jam vacua et deserta Thelpusa erat [3]. Sacer locus a principio, non oppidum, non civitas fuisse videtur.

Clitor contra et Psophis, non arte tantum sed natura egregie munita, inter firmissima et antiquissima Arcadiæ oppida habenda sunt [4]. Eæ veræ, ut ita dicam, regionis claves a principio fuere. Partes quædam veterum murorum adhuc exstant, super quibus novæ munitiones exstructæ sunt. Polybium legenti quam valuerint et Psophis et Clitor ad Arcadiam aut defendendam aut opprimendam in manifesto est [5].

In universum consideranti regionem Azaniæ et urbium situs, nom eamdem Azanum ac Lycaonum conditionem fuisse patet. Nec multas et contiguas in montibus urbes, nec civitates parvas diversasque multas, ut apud Lycaones, invenire est. Thelpusa, Psophis, Clitor, in omni regione solæ vita propria frui potuisse videntur. Potentem natio-

1. Mesoboa, Thaliades, Oryx, Haluns, Paos, Nasi tantum nominantur; quæ sedes iis fuerit, qua ætate floruerint, incertum.

2. Cf. Leake, *Travels in Morea*, II, p. 97.

3. Paus., VIII, 24, 25. Ἡ Θελπουσία χώρα. Ἀπὸ νύμφης Θελπούσης ὄνομα. Ταύτην δὲ θυγατέρα Λάδωνος εἶναι λέγουσι.

4. Cf. Leake, *Travels in Morea*, II, 240 et sq.

5. Cf. Polyb., II, 10; IV, 3, 5, 15.

nem, at unam, in Azania, principio regnass animo fingis cujus Clitor caput civitatis, Thelpusa religionis erat.

Magna boum, equorum, ovium armenta per Ladonis valles errare potuerunt.

§ 4. *Numina regionis.*

Azanibus eadem fere ac Lycaonibus erant numina. Jovem Lycæi, Cererem nigram, ut Lycaones adorabant. Nam natum apud se Jovem prædicabant Azanes [1] : Thelpusæ maxima, si usquam, religione Δημήτηρ colebatur, ubi de dea a Neptuno compressa, de Arione, de Despœna dicebant[2]. Poseidon Thelpusæ una cum Cerere honorabatur.

Ἀθήνην Κορίαν Clitorii noverant [3]. Nihil de Pane, Hera, Callisto apud Azanas invenimus. De Artemide affirmare non ausim [4].

Differebant tamen quadam ex parte Azanes a Lycaonibus : quæ neglecta fuisse videtur in Lycaonia pro magna dea apud Psophidenses Ἀφροδίτη habebatur [5], apud quos Herculem quoque cultum esse constat. Διοσκούροις et Εἰλειθυίᾳ in arce Clitoris ædes extructæ fuerant.

Unum autem proprium Azaniæ numen fuisse videtur, Æsculapius. « Æsculapii pueri ædem prope Thelpusam

1. Euphorion, *apud Meineke. Anal. Alex.*, p. 159.
2. Paus., VIII, 25.
3. Paus., VIII, 21.
4. Cf. Paus., VIII, 27, *de Buphago in Pholoe monte Dianæ sagittis confixo.*
5. Paus., VIII, 25.

videas, ubi Trigonis nutricis sepulcrum est. Nam quum Æsculapium expositum in Thelpusio offendisset Autolaus, infantem dicitur sustulisse [2]. » Templa Thelpusæ, Oncii [3], Caunte[4], Clitore Æsculapius habebat. Quam vetus in Azania dei cultus fuerit fabula de Autolao testatur. Multum apud Azanas valuisse Æsculapium vix dubitari potest.

Ut in Lycaonia, in Azania ignorabantur, temporibus antiquis, Κρόνος, Λητω, Διόνυσος, Ἑρμῆς, Ἀπόλλων, Ἄρης, Ἥφαιστος, Ἀδης

Illud autem notandum Ἀφροδίτην, Æsculapium, Herculem ad quasdam Azaniæ partes proprie, potius quam ad Azanes omnes pertinere, quum Æsculapius ad Thelpusam et Autolaum, Aphrodite et Hercules ad Psophida et Erycem Sicaniæ spectent peculiariter [7], unde fit ut inter Lycaones et Azanes nulla forsan principio religionis dissimilitudo exstiterit.

§ 5. *De natura mythorum in Azania.*

Quum eadem haberent numina Azanes ac Lycaones, iisdem mythis antiquissimis utebantur, de Cerere, de Neptuno, de Arione, de Buphago.

Hoc vero differt Azania quod non antiquæ tantum fabulæ sed et aliæ recentiores apud Ladonis et Erymanthi incolas vulgabantur. Fabula de Hercule præcipue proponenda est

1. Paus., VIII, 25.
2. Paus., VIII, 25.
3. Paus., VIII, 25.
4. Paus., VIII, 24.

qua extra Azaniæ et Arcadiæ fines ad externas regiones trahimur. Compressa ab Hercule virgo, ira patris, exilium filiæ, natorum fortitudo nihil commune habent cum fabulis Lycaoniæ; novam fingendi rationem denuntiant. Quæ de Leucippo et Daphne [1] narrabantur, non minus diversa sunt, ætatemque multo recentiorem, et vitam humaniorem redolent. Ludi funebres toties a poetis celebrati, Herculis Alcmonisque gesta apud Psophidenses, e carminibus quæ Ἔπη dicimus jam excerpta videntur. Nihil tale audierat Pausanias in Lycaonia. Bellatores una cum pastoribus Azaniam tenuisse credideris : Æsculapius arma amat [2].

Non obliviscendum tamen hæc omnia ex magna parte Psophidensium non omnis Azaniæ esse.

§ 6. *Quæ antiqui de Azania et Azanibus tradiderint.*

De historia Azaniæ nulla, de Azanibus pauca sed clara antiquorum testimonia habemus, e quibus nequaquam dubitari potest Azanes gentem a principio certam et definitam fuisse.

Azanes inter antiquissimas Græciæ gentes Strabo numerat [3]. « Δοκεῖ δὲ παλαιότατα ἔθνη τῶν Ἑλλήνων εἶναι τὰ Ἀρκαδικά Ἀζᾶνές τε καὶ Παῤῥάσιοι. » Azanes in Attica [4] et apud Phryges novimus ubi regio Azania dicebatur [5] quam Azanes non

1. Paus., VIII, 20.
2. Cf. Paus., II, 26; Strab., IX, p. 437. — Hom., *Il.* II, v. 729-733.
3. Strab., VIII, p. 388.
4. Strab., IX, p. 398. Cf. Hanriot, *Dêmes de l'Attique.*
5. Paus., VIII, 4 ; X, 32.

alienam ab Azania Arcadiæ prædicabant; Lycaonum Azanes finitimi et in Phrygia erant[1].

Adde quæ apud Stephanum legimus. « Ἀζανία μέρος τῆς Ἀρκαδικῆς · οἱ δὲ οἰκήτορες Ἀζᾶνες[2]. »

Quinimo Azanum diutius quam Lycaonum nomen floruisse in Arcadia Pythiæ versus de Cerere testantur.

« Ἀρκάδες Ἀζᾶνες. Βαλανηφάγοι, οἳ Φιγάλειαν
« Νάσσασθ'.[3] »

Unde Azanes nomen suum servasse et Phigaliam tunc tenuisse manifestum est : eadem de citato Stephani loco conjicienda sunt.

§ 7. *Fabulæ cum rebus concordare videntur.*

Qui vero fuerint Azanes, e qua gente exorti sint, pronuntiare non facile est quum nonnulla eos ab Arcadibus[4], nonnulla a Pelasgis et Lycaonibus discernunt. Si enim ad fabulas et genealogiam spectes, Arcadis filius Azan apud Pausaniam appellatur; si ad regionem, Azania a Lycaonia satis clare distinguitur; sunt autem et alia argumenta quibus nixus Azanes non alienos a Pelasgis Lycæi dicas, quum Clitor[5] filius Lycaonis apud Apollodorum appelletur, Parrhasiosque una cum Azanibus Strabo et Stephanus Byzantinus nominent[6]. Plures Azaniæ urbes intra fines Lycæi

1. Xenoph., *Anab.*, I, 2, 19; VII, 8, 1. — *Cyrop.*, II, 11, 10.
2. Steph. Byz., *verbo* Ἀζανία.
3. Paus., VIII, 42.
4. Vide *infra, quæ de Arcadibus dicentur.*
5. Apollod., lib. III, c. 8.
6. Strabo, *loco citato.* — Steph., *loco citato.*

nominantur. Laconiæ Pellana adjacebat. Quinimo, Lycosuræ Clitor regnavit. Numina Azanibus et Lycaonibus fere eadem erant.

Non vero negari potest Azanes ἔθνος et civitatem a principio constitutam fuisse, cui septemdecim urbes aliquando obedierunt, inter quas nonnulla munitissima oppida notantur, ita posita ut partem Arcadiæ quæ ad occidentem spectat Azanes post Lycaones armis occupasse facile credideris, Lycaonesque ipsos paulatim dominantium more ad se traxisse ut pro nihilo, postea, victi haberentur. Clitor Azanum potentiæ sedes præcipua esse non desiit.

Quod si quæ fuerit locorum natura et conditio vivendi consideraveris, tibi videbuntur Azanes cum *Arcadibus* nihil fere commune habuisse. Pascua viridantia, amœna loca, oppida pauca sed munita natura et arte, fabulæ mitiores vitam humaniorem eorum denuntiant, apud quos quæ postea in Lycæi jugis floruere, nec Clitore unquam neglecta sunt, equiria cœpta esse memorantur, Arcadibus ignota. In Asia Minore Lycaones et Azanes vicinas, ut in Arcadia occidentali, terras accoluisse Xenopho tradit.

Sunt alia etiam quæ omittere non debeo. Fabulam enim de Autolao significationem suam habere non dubito. Tribus quasdam pelasgicæ stirpis introspicio valles Erymanthi, circa Thelpusam, conditione servorum inhabitantes, quæ Azanibus subjectæ Æsculapii artem et religiones antiquas accuratius colebant, ut submissos et humiles decet. Thelpusa in Azania sanctissimus omnium locus erat. Azanes autem armis et principum imperio valuisse non mirer

quum apud Aristotelem[1] legerim nationes illas facilius principatum obtinuisse, at a populi potestate brevi cessisse in optimatium ditionem, quæ equorum copia abundarent. Equis Azanes floruisse ex equiriis toties celebratis satis compertum est : quid mirum si imperio aliquandiu, oppressis finitimis gentibus, usi sunt? Res ex oppidorum veterum Azaniæ munitionibus veritati propior adhuc videtur.

Fingas igitur mecum animo velim Azanes ἔθνος fuisse Lycaonibus numero sane inferius, potentia vero olim, reipublicæ forma et auctoritate eminens, quod dominationem, post Lycaones in Arcadia omni occidentali obtinuerit, ea conditione tamen ut pepercerit submissis, quos nec expulit e regione, nec omnibus urbibus suis exuit, dominorum potius more quam hostium. Nulla inter Azanes et Lycaones repugnantia fuisse videtur. Deos præcipuos eosdem colunt, Jovem Lycæi et Cererem. Adde Æsculapium qui populos armis et principum regimine potentes arte sua donare gaudet.

Periit tamen, ingruentibus *Arcadibus*, Azanum, ut Lycaonum antea perierat, potentia; mansit nomen tantum, unde non possum non suspicari multum valuisse hanc gentem quæ quum vetus amiserit imperium, et nomen et mores et deos suos, necnon quæ de originibus suis vulgo tradebantur, servaverit.

Itaque interpretari licet ex fabulis, quanquam nullas res singulas affirmare possumus, certam rerum seriem quæ

1. Arist., *Polit.*, lib. IV, c. IV, § 3.

non ad fingendi licentiam sed ad veritatem et historiam pertinet. Regionis, oppidorum, deorum natura cum fabulis congruit. Quæ ratio insit in fabulis de Azane, Clitore, Autolao intelligere incipimus; cur filii Clitori ut Lycaoni nepotes desint mox patebit. Sed non plura de Azanibus habemus dicenda, per quos jam ad *Arcades* proximos pervenimus.

PARS ALTERA

ARCADIA ORIENTALIS

1° REGIO CYLLENES. 2° TEGEATICA PLANITIES.

In duas partes et Arcadia orientalis dividenda est. De Cyllenes et Artemisii montibus, de planitie tegeatica separatim dicere debemus, quanquam in hac regione fabulas partiri minus facile est. Fabulas igitur primum, quæ ad Arcadiam orientalem universam spectant, e Pausaniæ testimoniis colligemus.

I

§ 1. *Quæ vulgo de Arcadia orientali tradita sint.*

Exeuntes ex Azania non alias tantum regiones, oppida alia, sed novos etiam mores, novos deos, novas fabulas adimus. Pelasgos Arcades excipiunt, quorum origo ad Arcadem Διός et Καλλιστοῦς filium referebatur. Hæc enim Arcades Pausaniæ narravere.

« Post Lycaonis filios, quibus nulla soboles fuerat, Cal-

listus filius Arcas regnum suscepit : ab hoc rege et ipsa quæ ante dicebatur Pelasgia terra, Arcadia, et qui Pelasgi fuerant Arcades nominati Habuit Arcas uxorem nympham Erato : ante nuptias Autolaum susceperat nothum. Ex Erato genuit Arcas Azana, Elatum, Aphidanta : quibus adultis regnum trifariam divisit. Ab Azane Azania, quæ ei evenit pars appellata : Aphidas Tegeam et quæ adjacent sortitus est · at Elatus montem qui Cyllene nunc vocatur obtinuit. Postea autem in eam terram inde abiit cui Phocis nomen fuit : quum vero Phocenses cum Phlegyis minus æquo certamine bellantes armis juvisset, in eorum finibus de suo nomine oppidum *Elateam* munivit [1].

« Filium Azani fuisse Clitorem, Aphidanti Aleum : quinque Elato genitos memorant, Æpytum, Pereum, Cyllena, Ischyn, Stymphalum. Clitor post Azana Lycosuræ regiam constituit, urbemque Clitora de suo nomine condidit. Aleus intra eam quam pater assignaverat regionem se continuit : quod vero ad Elati filios pertinet, a Cyllene mons nomen accepit, a Stymphalo fons et urbs vicina Stymphalus : Ischys cum Coronide Æsculapii matre concubuit : nullam Pereo fuisse virilem prolem aïunt, filiam habuisse Neæram quam Autolycus Parnassi montis incola uxorem duxerit. At quum Clitor Azanis filius nullos reliquisset liberos, ad Æpytum Elati filium Arcadum regimen pervenit.

« Æpyto in imperium successit Aleus, qui vetustum illud quod Tegeæ visitur Ἀθήνης Aleæ fanum exædificavit, ibi-

1. Cf. Paus., VII, 15 ; X, 34.

demque regiam suam constituit. Cylleni et Ischydi nulla progenies fuerat.

« Stymphalo Gortys et Agamedes, Agamedi Cercyon nati sunt; nullus regnavit; Alei filii et nepotes usque ad trojanum bellum imperium servavere[1]. » Tegea caput imperii esse non desierat. Lycurgus, Ancæus, Cepheus, Auge, Telephus, Echemus, Agapenor omnibus noti sunt: genealogiam Alei ultra sequi non necesse est. In illa vero nominum et fabularum confusione plura animadvertenda sunt quæ fictæ genealogiæ vinculo male connectuntur. Lycaonum enim exemplo jam novimus quid genealogiæ valere possint.

Quærendum est igitur primum quid in fabulis illis insit quod possit verum haberi nec poetici mendacii notam præferat. Quum nihil ex nihilo oriatur, fieri potest ut intelligamus qui primus exstiterit fingendi fons et causa indubitata. Quæ si ad tenuissimas lineas presseris, quatuor illa posse inde concludi percipies :

1° Regionem aliquando nomen suum immutasse, quum Arcadia non Pelasgia aut Lycaonia, ut quondam nuncupetur; qua mutatione res novas et graves significari;

2° In tres partes post Lycaonum tempora divisam fuisse *Arcadiam* omnem, quarum una ad Clitorem, ad Cyllenem altera, tertia ad Tegeam pertineret, ad quos vicissim pervenisset auctoritas;

3° Novas urbes ædificatas fuisse, quæ multo magis ad

1. Paus., VIII, 4.

orientem et septentrionem vergerent, inter quas Clitor, Stymphalus, Alea, Tegea eminerent;

4° Apparere commercia nova regionis, hinc cum Asia Minore, illinc cum Phocide et Parnasso.

Nihil de Azania de qua jam supra disputavimus dicendum est. De duabus aliis partibus tantum tractabimus. De Azania in conclusione rursus agetur. Sed ante omnia quædam notanda sunt quæ non ad regiones singulas sed ad Arcades universos spectant a Pelasgis et Lycaonibus diversos.

Arcades.

Pelasgos Lycaoniæ nomen suum non sponte deseruisse omnes pro certo habebunt qui duram gentis indolem et in priscis moribus constantiam novere. Præterea Pelasgorum et Lycaonum vestigia fere omnia circa Lycæum conglobata magno argumento sunt rem, non e gentis cultu, non e naturali quadam vivendi mutatione, sed ex antiqua et subita perturbatione rerum originem cepisse. Quanquam enim hoc primis Græcarum rerum temporibus factum videtur, non ideo minus certum, sine quo omnes res Arcadiæ obscura nocte involvuntur : causa latet; effectus in manifesto est : e rebus quæ secutæ sunt origo et fons earum qui fuerit jure conjici potest.

Quinimo non ex omni parte tacet historia : Aristotelis testimonium habemus quo ἐν τῇ Τεγεάτων πολιτείᾳ Arcadas affirmabat regionem, pulsis barbaris, occupasse : « Ἀριστοτέλης ἐν τῇ Τεγεάτων πολιτείᾳ φησὶν ὅτι βάρβαροι τὴν Ἀρκαδίαν

ᾤκησαν οἵτινες ἐξεβλήθησαν ὑπὸ τῶν νῦν Ἀρκάδων[1]. » Referebat eadem Eusebius : « Ἀρκὰς ὁ Καλλιστοῦς καὶ Διός υἱός, Πελασγῶν κρατήσας Ἀρκαδίαν τὴν χώραν μετωνόμασεν[2]. » Cui assentit Isidorus scribens : « *Pelasgis in ditionem redactis*[3]. » Nonnulla enim et in Arcadia orientali Pelasgos ante Arcades floruisse demonstrabant quæ historicorum prudentiam fallere non poterant. Non eamdem Arcadibus ac Lycaonibus vivendi rationem fuisse manifestum erat. Quum enim antiquissimas omnes Arcadiæ orientalis urbes a filiis aut nepotibus Pelasgi non Arcadis conditas esse memoraretur, nullæ *Arcadibus* nisi multo recentiores assignabantur. Temporibus Pausaniæ urbes quædam adhuc duplices erant quarum prior antiquitus destructa, cujus tamen ruinæ alteri adjacebant, Pelasgorum aut Lycaonum vocabatur, posterior arcadica erat. Arcades igitur a Pelasgis et Lycaonibns disjungere necesse est, quod clarius mox patebit.

II

ARCADES MONTANI

ELATEIA SEU CYLLENES ET ARTEMISII MONTES

§ 1. *Locorum natura.*

Azania relicta, ad orientem nunc flectamus, et superatis Aroanii jugis, ad Nonacridis vallem et undam quæ Stygis

1. Sch., *Apoll. Rhod.*, I, 263.
2. Euseb., *Chr.*, ed. mai, p. 284. — Syncellus, p. 138.
3. Isid., *Chron.*, XII, c. IV.

ὕδωρ nominatur, tendamus. Ibi nec demissos colles, nec largis ripis flumina, nec læti graminis amœnitatem aut ubertatem frugum quæras. Sterilitas undique horret, rigent cacumina nive : juga horrida abietes editis in altum ramis obumbrant, quarum inter truncos vix unus et alter equiti aptus trames longis circuitibus repens aperitur; nulla pura inter arbores humo. In imis vallibus campi aliqui virent, sæpius autem undarum mole inundati, quæ circum effusæ in altam Phenei vallem tanquam in vas conveniunt. Nec Aroanii vertices tantum hanc figuram præbent : Crathidis Cyllenesque et in partem majorem Artemisii idem aspectus est, qui montes omnes et altitudine et sylvarum perpetuitate et fontium frequentia et nivium tenacitate inter se mire congruunt. Crebra nunc in iis ascensio descensioque, patentes nunc, in summis jugis, campi cœlo aspero, ventis obnoxii supra quos prærupti nivosique vertices aut recta saxa tantum eminent, ubi jejuniores stant arbores, fertilem clivorum humorem desiderantes. Nonnullas de cœlo tactas esse nigra circum spatia testantur. Plena sunt loca hæc omnia sacro quodam horrore, qui mentem una terret delectatque, nec aliam inter hanc nemorum caliginem asperitatemque montium vixisse posse gentem omnino finxeris nisi quæ a vate celebratur *truncis et duro robore nata*, quæ nullum noverit cultum, ramisque et venatu aleretur.

§ 2. *Urbium veterum ruinæ aut situs.*

In illis quasi latebris Arcadiæ nulla fere hodie remanent incolarum veterum vestigia : miracula tantum naturæ oculis occurrunt. Præter stillantes illos ex altissimo saxo frigidissimos Stygis humores, Phenei Stymphalique lacus et plura *catavothra*, ut dicunt, admirationem movent, in quorum vortices undæ nullam aliam viam habentes absorbentur. Illud autem accidit ut campi toties inundati morbis multis et febribus laborent, quibus incolæ ad summos montes et frigidiores salubrioresque terras migrare sæpius coguntur. Nullæ fere exstant adhuc nisi Phenei urbis ruinæ, supra lacum, in arce quadam nativa positæ.

Quot fuerint urbes priscis temporibus in regione Cyllenes, Crathidis et Artemisii difficile dictu est; paucas fuisse sine ullo dubio affirmari potest : sex tantum Pausanias nominat quas aut florentes, aut eversas vidit, Nonacrida, Pheneum, Stymphalum, Methydrium, Orchomenum, Caphyas, omnes eas ad antiquissima tempora referens. Quinimo omnes hæ urbes ad Pelasgiam et filios Pelasgi, non ad *Arcadiam* spectare videntur. Nullum Arcadibus fuisse antiquum morem condendi urbes credideris. Quum enim quædam aut ab incolis relictæ aut a victoribus dirutæ fuissent, quæ locis munitissimis, principio, editæ fuerant, nunquam redintegratæ sunt; novas urbes, prioribus vicinas, sine muris, longos post annos, institutas Pausanias vidit. « Orchomeniorum vetus oppidum, inquit, in

« summo olim fuit montis vertice, quo in loco reliqua sunt « mænium vestigia : urbs nova sub ipso veterum muro- « rum ambitu extructa est. *Filius Lycaonis* Orchomenus « priorem Orchomenum condiderat[1].» « Non quo nunc loco « stat sed in parte diversa conditam fuisse priscam Stym- « phalum memorant, in qua Temenum Pelasgi filium habi- « tasse dicitur, a quo fuerit Hera educata, cui fana tria cum « deæ cognominibus totidem dedicavit. Novæ Stymphalo « Stymphalus Arcadis Callistus filii pronepos nomen suum « indidit[2]. » « A Nonacride Lycaonis uxore Nonacris urbs « nomen suum suscepit, ruinæ tantum hodie exstant[3]. » « Pheneum Pheneus autochthon muniit[4]. » « Caphienses « se ab Attica originem ducere contendunt[5]. »

Quis non miretur Arcades, a quo regio tota Arcadia appellata est, nullam sui in urbibus antiquissimis memoriam reliquisse, præsertim quum ipsi Προσέληνοι dicerentur? Scilicet non in urbibus aut vicis conglobati vivebant meri et sinceri Arcadis filii, dispersi per montes habitabant, σποράδην οὐ κατὰ κώμας *turbæ* non *civitati* similes, ut ait Aristoteles, quod nunc demonstrare conabimur.

§ 3. *De Arcadum montanorum moribus.*

Nullum proprium nomen antiqui scriptores dedere regioni quam nunc, utpote quæ filios Elati præcipue incolas habuerit

1. Paus., VIII, 3, 13.
2. Paus., VIII, 8, 13, 22.
3. Paus., VIII, 17.
4. Paus., VIII, 15.
5. Paus., VIII, 23.

Elateiam dicere audemus, quamvis melius forsan proprie dictam Arcadiam vocaveris. Non autem, cum de Arcade et Elato agitur, nationes habemus certas et definita ἔθνη Lycaonibus et Azanibus similia. Arcades Elateiam incolentes, non civitates constitutas tenemus. « Parmi les appellations des tribus primitives, inquit Koutourga [1], un grand nombre a un sens territorial, surtout chez les populations où la tribu n'est pas encore fortement organisée intérieurement. C'est ainsi que les trois tribus gauloises qui habitaient l'Écosse portaient les noms significatifs d'Albanais, de Maïates et de Calédoniens. Les premiers occupaient une région montagneuse, connue sous le nom d'Albanie, du mot *al* ou *ol*, qui signifiait une hauteur, les seconds habitaient la Maïatie ou pays de plaine, du mot *majat* ou *magaïte;* enfin le pays des derniers devait son nom aux forêts qui le couvraient, *Calyddon*, en gaulois, forêts. La race gauloise offre encore un autre exemple analogue dans les Olombriens, les Isombriens et les Vilombriens » [2]. Haud aliter Arcades montani non e diversitate ἐθνῶν sed e locorum varietate nomina a principio usurpaverant. Distinguebantur et qui pineas sylvas (Ἐλάτας) et qui juga Cyllenes, et qui Stymphali profunda obtinebant. Quidam Αἰπυται, id est, in summis locis degentes appellabantur [3]. Hoc non mirum est in gente quæ nec in urbibus, nec in vicis, nec per civitates conglobata vivebat et πλῆθος potius quam ἔθνος erat.

1. Koutourga, *Essai sur l'organisation de la tribu dans l'antiquité*. Saint-Pétershourg, 1839.

2. Améd. Thierry, *Hist. des Gaulois*, I, 13.

3. Steph. Byzant., s. v. Αἶπυ.

Aliud est belli societas, ait Aristoteles, aliud civitas. Illa enim magnitudine sola et numero est utilis, etiamsi specie sit eadem : civitas diversitatem desiderat. Non aliter differt civitas a gente ubi multitudo non per vicos divisa est sed Arcadum more dispersa [1]. De incolis *Elateiæ*, Aristotelem locutum esse nulli dubium erit, quum et Lycaoniam et Azaniam alios ex ipsius testimonio mores habuisse pateat, et constitutis civitatibus usas esse. Nec mirum est si gentium venatui deditarum vitam servaverunt Arcades *Elateiæ*, quum nihil in Arcadia magis montosum, sylvestre, agreste, sterile sit quam Cyllenes, Crathidis et Artemisii montes, ubi paucos menses juga nive carent. Nullus ibi Erymanthus aut Alpheus aut Ladon amnis qui valles irrigando fecundet. Ea vera *Drymodes et gelida Arcadia est* [2] : ibi *Arcades apros* invenire est [3], ibi porcos agrestes et ursos excitare dabatur [4].

Montanos tantum illos hæc dura terra alere poterat quorum Polybius effigiem reliquit, qui suillis coriis vestiti longis armati hastis non nisi musicæ et saltationis studio assiduo paulatim molliebantur [5]. Ii soli in Arcadia montani jure vocari poterant. Humilis enim Lycæus, humilis Erymanthus, si ad Cyllenem et Crathidem spectes. Montanos autem a cæteris Arcadibus clare discernit Pausanias dicens :

1. Arist., *Pol.*, II, 1.
2. Plin., IV, 6.
3. Martial., V, 66.
4. Paus., VII, 1, 9, 13.
5. Polyb., IV, 20.

cæteri αἰγῶν et προβάτων νάκας induerant, θηρίων δὲ δέρματα λύκων τε καὶ ἄρκτων οἱ ὀρεινοὶ τῶν Ἀρκάδων περιεβέβληντο [1].

Montanos Arcades scilicet perpetuum certamen cum natura et hominibus exercere necesse erat, qui nihil certum possent obtinere nisi magna corporis et animi contentione. Sæpius Corinthiaco freto superato, in Ætoliam et Phocidem migrare debuere, ut liberorum et feminarum paupertatem sublevarent. Mercenarios nonnunquam eosdem temporibus aliis apud Asiæ reges invenias. Hodie adhuc, primo vere, Roumeliam Cyllenes incolæ omnes petunt, nec ante hiemis incipientis tempora domum redeunt.

In Elateia vita illa libera et fera agebatur quam Hippocrates montanorum et Arcadiæ præcipue civium propriam dicit : [2]. Ὁκόσοι μὴν χώρην οὐρείνην τε οἰκέουσι καὶ τρηχέην καὶ ὑψηλὴν καὶ ἔνυδρον καὶ αἱ μεταβολαὶ αὐτέοισι γίγνονται τῶν ὡρέων μέγα διάφοροι, ἐνταῦθα εἰκὸς εἴδεα μεγάλα εἶναι καὶ πρὸς τὸ ταλαίπωρον καὶ τὸ ἀνδρήιον εὖ πεφύκοτα, καὶ τὸ ἄγριον καὶ τὸ θηριῶδες αἱ τοιαῦται φυσίες οὐχ ἥκιστα ἔχουσι. Aristotelis, Pausaniæ, Hippocratis verba concordant.

Arcades montani igitur conditionibus vivendi et morum consuetudine Lycaonum et Azanum longe dissimiles erant, a ferarum gentium vita propius stantes. Non autem in illa barbarie infirma erat montanorum gens : quinimo hinc vim suam præcipuam et potestatem sumebant. Oriatur tantum apud eos vir audax manu et animo fortis, qui terribiles illos homines in unum collectos secum ad bella extra regio-

1. Paus., VIII, 11.
2. Hippocrat., *de Aere*, c. xx.

nem contrahat : quæ parva Lycaonum civitas irrumpentibus resistere potuit? quæ se ab Arcadum ditione defendere? Finge animo Arcades illos in asperrima et sanctissima Stygis valle, tristes inter et magnos Aroanii montes concionem de publicis omnium rebus solemnem habentes et ad jusjurandum Styge imminente coactos[1]. Quod quarto ante Christum sæculo Cleomenes facere etiam instituerat adeo mos sacer et antiquus videbatur. Quæ inde fera, densa et una multitudo ad invadendos et vastandos finitimos erumpebat! Jam non miraberis si Elati genealogiam secutus nunc in Lycaoniam, nunc in Phocida, nunc in Megarida aut sylvas Parnassi duceris, quod minime agresti illi et bellicosæ genti disconvenit quæ a militari et mercenariorum vita nunquam abhorruit.

Jam fatearis velim ex rerum natura sequi ut *Arcades*, de quibus nunc dicimus, tota Arcadia aliquando armis et terrore dominati sint, et nationes institutis et humanitate meliores quasi servas tenuerint, non tamen extinxerint, quum antiqua inter Pelasgos et Arcades consanguinitas fuisse videatur, nec periculosum Arcadibus fuerit sinere civitates moribus adeo diversas vitam tranquillam et obscuram sub ditione sua degere. Ducibus forsan gloriosum videri debuit in Lycaones regnare, et antiquam sanctamque Lycosuram pro regia obtinuisse.

1. Cf. Beulé, *Études sur le Péloponèse.*

§ 1. *Numina regionis.*

Quanquam magni Lycaoniæ dii Ζεύς, Δημήτηρ, Πάν in Elateia non ignorabantur, manifestum est duo alia præcipue apud *Arcades* floruisse numina, Ἑρμῆν et Ἄρτεμιν, quæ Arcadiam omnem orientalem cultu et potentia sua implent. Ii soli dii fabulis nativis intermiscentur; ii regnant in montibus, ii vitæ montanorum participes fiunt, utpote qui et venatui, et musicæ, et furto, et pecorum curæ faveant.

Mercurius. (Ἑρμῆς.)

Qui vix nominatur in Lycaonia, apud Azanes ignoratur, primum locum apud montanos *Hermes* obtinet.

Quem candida Maia
Cyllenæ gelido conceptum vertice fudit [1].

Ἑρμῆς enim prope Pheneum natus erat : « Ad lævam montis Gerontis per Pheneaticum agrum contendentibus, Pheneatis ii sunt fines quos *Tricrenas* nominant : in illis aquis recens in lucem editum Mercurium (Ἑρμῆ) accolæ montis nymphæ abluisse dicuntur; ob eamque rem eos fontes tanquam Mercurio sacros multa cum religione colunt [2]. »

Mercurium deorum omnium maxime Pheneatæ venerabantur eique ludos edebant Hermæa [3]. Cyllene omnis mons Mercurio sacrabatur : « Ab Æpyti sepulcro ad Arcadicorum

1. Paus., VIII, 4. — Virg., *Eneid.*, VIII, v. 138 et 139.
2. Paus., VIII, 16.
3. Paus., VIII, 14.

omnium montium excelsissimum Cyllenem venias. In ejus summo vertice *Mercurii Cyllenii* templum eminet : *Dubium nihil est et monti et deo* a *Cyllene Elati* filio cognomina indita [1]. »

Αἴπυτος, id est montanus, in Tegeatica planitie Ἑρμῆς vocabatur [2]. Quinimo, quod novum est nec de Lycaonibus notatum, Mercurium Cyllenii sub forma αἰδοίου ὀρθοῦ ἐπὶ βάθρον adorabant [3]. In monte *Chelidoreo* quum testudinem invenisset, lyram instituisse Mercurium constabat, qua in Hermæis ludis Arcades inter se contendebant [4]. Quod vero primum est deo in lucem edito facinus ? Boves Apollini furto abripit quos e Pieria, non sine magna solertia, ad Cyllenem compellit [5].

Animadvertendum est Mercurium nec in oppido, nec in arce ulla coli : summis montibus et obscuris sylvis in Elateia præsidebat. Montanorum Arcadum mores mire exprimere Ἑρμῆς videtur.

Artemis. (Ἄρτεμις.)

Quum nulla sint in Elateia loca Mercurio dicata, multo plura Artemidi sacrantur, quæ nulli fere monti, nulli sylvæ, nulli valli ignota et aliena est. Quem locum Zeus et Demeter in Lycaonia eumdem Hermen et Artemin in Elateia obtinuisse patet.

« Est inter Orchomeniorum et Mantinensium fines Arte-

1. Paus., VIII, 17.
2. Paus., VIII, 47.
3. Paus., VI, 27.
4. Paus., VIII, 17.
5. Paus., VII, 20. — Hom., *Hym. ad Apol.*

midis Hymniæ prisca omnium Arcadum religione sacrosanctum fanum [1].

« Haud procul ab urbe Orchomeno statua Artemidis Cedreatidis adoratur [2].

« Ab Artemide mons Artemisius nomen suscepit, in quo Artemidis fanum et simulacrum est [3].

« Est in Crathide monte Pyronæ Dianæ templum : ex quo antiquitus Argivi ad Lernæa ignem deportabant [4].

« Stymphali Artemidis etiam vetusta ædes est, Stymphalicæ cognomento. Deæ signum ligneum, rude atque impolitum, maxima quidem ex parte inauratum : sub templi lacunaribus Stymphalides etiam aves positæ sunt [5].

« Quum Ulysses equos perdidisset et eos quærens totam Græciam peragraret, postremo, quo loco eos reperit, ibi Artemidi templum, quam *Eurippen* cognominavit, addito equestris Neptuni signo, erexisse dicunt : [6].

« Templa apud Caphyenses Cnacaleiæ Artemidis : a monte *Cnacalo nomen accepit*, in quo anniversaria ei initia peraguntur [7].

« Abest a Caphiis stadium haud longius unum Condylæ vicus : in quo lucus et fanum Artemidis cognomine olim Condyleatidis [8].

1. Paus., VIII, 5, 13.
2. Paus., VIII, 13.
3. Paus., VIII, 8.
4. Paus., VIII, 25.
5. Paus., VIII, 22.
6. Paus., VIII, 14.
7. Paus., VIII, 13.
8. Paus., VIII, 13.

« Filias Præti Melampus Lusos compulit, lustratasque in Artemidis templo insania liberavit [1]. » Quam potens, quam magnum fuerit deæ ἱερὸν ex Polybii testimonio judicari potest apud quem hæc legimus : « Quum ad Artemidis fanum inter Clitorem et Cynetham situm pervenissent, quod Asyli religione Græci colunt, sacrum Deæ pecus ac cætera circa fanum diripuere [2]. »

Artemidis sacerdotibus severior quam cæteris disciplina erat : « Sacerdotem fæminam et virum *patrio instituto* deligunt, et reliqua propinquitate et matrimonio carentes; his non balnea, non cætera victus ratio cum vulgo communes, neque in privati ullius hominis ædes pedem unquam conferunt [3]. »

Quid plura? Maximam Arcadum deam fuisse Artemida nemo dubitare potest, cui loca sacra novem in ea regione numerantur in qua quinque aut sex urbes tantum floruerant, cui sacerdotes sui cum disciplina propria, cui asyli religio, cui sacer ignis erat. Nulla dea alia videtur in Elateia inferior fuisse Artemis, nec Cereri, ut in Lycaonia, obnoxia. Nec tamen mysticam naturam habuisse dixeris; nam non *mythos* illos in religione Artemidis deprehendimus antiquissimos, qui vim veram numinis et originem nobis significent.

Artemin multum valuisse in Elateia, et naturam habuisse

1. Paus., VIII, 18.

2. Polyb., IV, 6, 9. — Cf. Xenoph., *An.*, V, 3, 7; *de Pecoribus Artemidis.*

3. Paus., VIII. 13.

moribus incolarum consentaneam : nihil amplius dicere audemus.

§ 3. *Numina quæ in Elateia et in Lycaonia una adorabantur.*

Numinibus cæteris quæ in Elateia adorabantur, nihil regionis proprium erat. Eadem fuisse atque in Lycaonia comperimus, ea tantum diversitate, ut obsoletum quiddam et minus *vivens* iis insit in Elateia, quasi vetera numina fuerint in oblivionem data, aut recentiora jam neglecta.

Ζεύς.

Nullum Διὶ templum, nullus sacer locus in Elateia. Nisi filius Διὸς dictus esset Arcas, ignotum in Elateia Δία crederes.

Δημητηρ.

Demeter contra nonnulla fana habet, omnia vero ad Eleusina et vagam Thesmiamve Cererem, non ad Cererem nigram spectantia. Advenam fuisse apud eos *alienamque* deam Arcades sensisse videntur.

« Est apud Pheneatas etiam Cereris cognomento Eleusinæ fanum : cui initia eodem ritu quo apud Eleusinem peraguntur, quum ipsi tamen ea sacra apud se primum instituta autument. [1]. Venisse in hæc loca Cererem Pheneatæ dictitant, dum errabunda Proserpinam quæritaret; Cererem hospitio acceperunt Trisaules et Damithales. »

1. Paus., VIII. 14.

Eleusinia fabula renovatur : « Cereri Thesmiæ cognomentum est[1]. »

« Templum ad imam Cyllenem acceperunt incolæ et initia deæ instituere quæ nunc etiam in officio permanent[2]. » Non nulla sane Pausanias de iis templis memorat quæ nos ad vetustissima tempora referant, hæc vero ipsa quadam nota recentiori signantur. « Prope fanum Cereris Eleusinæ, quod apud Pheneates exstat, lapides eminent: prægrandes duo, alter apte alteri impositus : Petroma vocant : eos lapides, ubi anniversarii sacri quæ majora nominant initia dies appropinquant, disjungunt, atque inde litteras educunt quibus pompæ ritus et quæ fieri oportet consignata sunt. Eum commentarium audientibus recitandum curant[3]. » Has litteras non antiquas sane habemus, quanquam quæ de petromate dicta sunt antiquum usum redolent.

Notum nihil in Elateia de Neptuni concubitu cum Cerere, de equo Arione, de Despœna, quasi vetus dea naturam primam suam et peculiarem magna ex parte amiserit.

Minerva. (Ἀθήνη.)

Athene in arce Phenei tantum adorabatur: ei Tritoniæ, ut Alipheræ, cognomentum erat[4].

Juno. Ἥρα.

« In prisca Stymphalo Temenum Pelasgi filium habitasse

1. Paus., VIII, 15.
2. Paus., VIII, 15.
3. Paus., VIII, 15.
4. Paus., VIII, 14.

dicunt a quo fuerit Juno educata, cui fana tria cum deæ cognominibus totidem dedicavit. *Puellam* enim dum virgo esset, Jovi vero jam nuptam, *adultam*, divortio a Jove facto, quum Stymphalum se recepisset, *viduam* appellasse[1]. » Pelasgicam fabulam quæ in Argolide celebrabatur nemo non hic agnoscit : nihil Arcadiæ proprium in Elateia audiebatur de Hera.

Poseidon. (Ποσειδῶν.)

Pauca de Neptuno dicenda sunt : duo templa, simulacrum unum ex ære a Pausania numerantur, *Neptuno Hippio* sacrata. Fabulis quæ de deo tradebantur Pausanias se assentiri non posse declarat : recentiores fictasque non nativas eas esse in aperto erat. Peregrinus, inter Elateiæ incolas, Ποσειδῶν Ἵππιος erat.

Ignorabantur Κρόνος, Λητώ, Ἀπόλλων, Ἀφροδίτη, Διόνυσος, Ἅδης, Ἥφαιστος, Ἀσκλήπιος, Ἄρης.

§ 6. *De natura mythorum Elateia.*

A mystico studio incolæ Elateiæ abhorruisse mihi videntur. Mythos illos antiquissimos et a veteribus *Arianæ gentis* fabulis propiores nullos in Elateia reperire est, nisi omnino adulteratos. De Herma, de Artemide nihil narrabant quod non ad vitam Arcadici ἔθνους et mores proprios pertineret. Quæ fuerant principio tradita ea forsan quasi evanuerant in illa dispersa et vaga venatorum vita.

1. Paus., VIII, 22.

Quid significarent rapti ab Herma Apollinis boves, quanquam mythus habere potuit sensum ad astra spectantem et antiquissimus erat, ignorasse Arcades videntur, nec Pausanias in libris de Arcadia fabulæ hujus mentionem fecit. Apud poetas, non apud sacerdotes furtum Hermæ in Peloponneso vulgatum credideris.

Narrabantur vero alia de quibus silere non debemus. Stymphali, Phenei notus erat Hercules maximorum operum molitor. Stymphalides aves in omnium ore erant. De Iphide dicebant, Jolai patre, fratre Herculis. *Aroanicæ* fossæ Herculi assignabantur. Quæ nulla erat apud Lycaones, peregrina apud Psophidenses Herculis fama, hic contra regnasse videtur. Hoc autem non possum non animadvertere eo magis valere Herculem quo nationes a Pelasgis et Lycaonibus magis alienæ videntur. An opera illa quæ venatoris populi admirationem movebant ab aliqua antiquiore gente munita fuerant? Stymphali catavothra, Araonicas fossas nec a se nec a patribus suis excavatas fuisse Arcades montani sentiebant, maximo tamen regionis commodo, sine quibus et diluvium et febres vallibus illis instare non desiissent. Qua ætate miracula illa Herculi attribuerint non ausim decernere; hoc tantum velim concedi duarum gentium vestigia inde in regione rursus deprehendi, quarum una, postquam magnas res effecerat victa exulavit, aut oppressa veteris splendoris sui oblita est; altera moribus asperior, sine ullo humanioris vitæ cultu, armis potens, in montibus regnare non desiit. Importata, non nativa est Herculis fama in *Elateia*.

In Cercyone sinceram Elateiam et veros Arcadum mores reperimus.

De Castore, Polluce, Deucalione, Prometheo, Danao, Cecrope, Cadmo, Pelope, Ægypto, Perseo, nihil in Elateia. Ulysses ut in Lycaonia nominatnr.

§ 7. *Fabulæ cum rebus concordare videntur.*

Prima documenta historica de Arcadia apud Homerum invenimus. De Pelasgis, de Lycaonibus, de Azanibus tacet. Arcades solos novit et Arcades præcipue Elateiæ et Tegeatidis.

Οἱ δ᾽ ἔχον Ἀρκαδίην, ὑπὸ Κυλλήνης ὄρος αἰπυ
Αἰπύτιον παρὰ τύμβον, ἵν᾽ ἀνέρες ἀγχιμαχηταί.
Οἱ Φενεόν τ᾽ ἐνέμοντο καὶ Ὀρχομενὸν πολύμηλον
Ῥίπην τε Στρατίην τε καὶ ἠνεμόεσσαν Ἐνίσπην
Καὶ Τεγέην εἶχον καὶ Μαντινέην ἐρατεινὴν
Στύμφηλόν τ᾽ εἶχον, καὶ Παῤῥασίην ἐνέμοντο.
Τῶν ἦρχ᾽ Ἀγκαίοιο πάϊς, κρείων Ἀγαπήνωρ [1].

In Elateia et Tegeatide sumus, montanos inter Arcades, et filios Elati. Hic non sunt οἱ Βαλανηφάγοι Phigaliæ, sed Ἀγχιμαχηταὶ Κυλλήνης ὄρος αἰπυ νέμοντες. Nihil in Iliade meraoratur de Lycaonia. Parrhasia vix nominatur. Ex illo tempore Arcades soli apud poetas et historicos celebrantur, tota dominantur regione. Pheneus, Stymphalus, Orchome-

1. Hom., *Il.* II, v. 603.

nus, Mantinea, Tegea (adde tamen Psophim et Clitora) principem locum obtinent. Xenophontis *Anabasin* revolvas : Arcades inter decem mille viros numerantur : ducum patriam Xenophon nominat. Ex Elateia fere omnes, ut temporibus belli trojani, oriundi erant. Æneam, Sophenetem, Agasiam Stymphalus, Cleanora Orchomenus, Aristonymum Methydrium genuerant. Duo venerant e Parrhasia quorum unus Arexion *μάντις* est, Xenias alter *Lupercalia* apud Peltas celebrat, patriæ suæ quisque mores et instituta servans. In quarto Polybii libro eædem urbes notandæ sunt viris suis valentes, in montibus septentrionalis aut orientalis Arcadiæ omnes, in regione Lycæi nullæ. Nullæ respublicæ, nullæ civitates tamen in Elateia unquam institutæ fuere; Συμμαχία tantum inter Arcades montanos, ut principio, exercebatur.

Nemini igitur videbitur illud rerum veritati repugnare quod nulla Pereo, Cylleni, Ischydi soboles data est, nulli Stymphali filii ante bellum trojanum regnum obtinuerunt. Omnes enim tribus illæ vitam suam degebant vagam, liberam, ab omni civitatum institutione alienam. In planitiem Tegeaticam descendere cum Aphidante necesse est, ut constitutam πόλιν et reges certos habeamus. Regnant Aleus, Lycurgus, Ancæus, Agapenor, qui quidem totam Arcadiam in ditionem redigere tentant. Ad Aphidanes jam eumdum est.

TEGEATICA PLANITIES

APHIDANIA

§ 1. *Locorum natura*

E montibus ad meridiem mecum descende; superatisque Orchomenii faucibus in apertum et aquosum Mantineæ agrum penetra : mox, campis usque in planitiem extensis, Tegeam adibis; qui loci nihil memorabile oculis præbent, quum nec pulchritudine, nec specie ruinarum excellant. Prata tantum viridissimi graminis videre est, certum terræ non ingratæ testimonium, quæ ob abundantes aquas non omni generi culturæ facilis est. Tegeaticus ager paulo uberior. Ibi plurimus magnis urbibus locus, aditus ad Argolida et ad mare promptus est, commercio facultatem dans in Arcadia fere unicam. Dimidiatam Arcadiam dicas, jam non clausam sed apertam. Protinus Parnonis Mænalique valles sub undis jacent.

Hæc prima planities in Arcadia est, ubi potuerit regni potentis sedes instrui. Nulla propria et peculiaris ratio vivendi incolis a natura imponitur. Ad omnia civitatum instituta regio apta est.

§ 2. *Quæ de regiona vulgo tradita sint.*

Quanquam miscentur Elateiæ et Aphidaniæ fabulæ, quæ ad Tegeam præcipue spectant separatim hic proponendæ sunt.

Prima ætas ad Pelasgos et Lycaones pertinet : vetustissimæ urbes a filiis Lycaonis conduntur. « Tegeam et Mantineam Tegeates et Mantineus instituere [1]. »

Post Lycaones Arcadis filius Aphidas Tegeam pro parte sua patris hæres obtinet. Urbs tunc parva et sine muris erat ; incolæ enim *curiatim* (κατὰ δήμους) habitabant : δήμους octo Pausanias nominat. « Ad hos dum Aphidas regnaret nonum accessisse dicunt Tegeatæ, cui Aphidantes nomen [2]. »

Aleus non patri tantum sed et Æpyto Elateiæ et Azaniæ regi successit, ita ut tota Arcadia regnasse diceretur. Vetustum illud quod Tegeæ visebatur (Ἀθήνης) Minervæ Aleæ fanum ædificavit : liberos habuit Lycurgum, Aphidamantem, Cepheum, filiam Augen quam Hercules compressit, unde Telephus natus est.

Lycurgus post Aleum regnum suscepit. Filius Lycurgi Ancæus cum Jasone in Colchos, Calydona cum Meleagro ivisse ferebatur. Echemus Cephei pronepos post Lycurgum regnavit. Eo regnante Dorienses in Peloponnesum irruerunt. Hyllum Echemus manu sua occidit. Agapenor e familia eadem excepit Echemum. Ab Agapenore Arcades ad Trojam ductos fuisse Homerus nos docet. Cum autem Agapenor e Troja non rediisset, ad Hippothoum, Cercyonis filium (Cercyo pronepos erat Stymphali) regia potestas pervenit, qui, Tegea relicta, Trapezunta regiam transmisit. Basilis haud multo post condita est[3].

1. Paus., VIII, 3.
2. Paus., VIII, 45. Cf. Strabon, p. 333.
3. Paus., VIII.

§ 3. *Urbium situs, ruinæ.*

Pauca de veteribus Aphidaniæ urbibus novimus. Nullæ ruinæ, nulla mœnia antiqua exstant, quæ nobis veterum temporum effigiem proponere possint; Pausaniam ducem tantum habemus e cujus testimonio constat nullam magnam, nullam munitam urbem in planitie principio institutam esse. « A Tegeo Lycaonis filio regioni duntaxat nomen impositum Tegeatæ dictitant, quum incolæ tunc κατὰ δήμους (curiatim) habitarent. Δήμους quidem nominant Gareatas, Phylacenses, Caryatas, Corythenses, Potachidas, præterea Manthyrenses, Echeuetenses : ad hos, dum Aphidas regnaret, nonum accessisse dicunt Aphidantes. Tegeæ quæ nunc exstat urbis conditor fuit Aleus. Τῆς δὲ ἐφ' ἡμῶν πόλεως οἰκιστὴς ἐγένετο Ἄλεος [1]. Quinquaginta a Tegea stadia manthuricus campus in finibus Tegeatarum ostendebatur [2].

E quibùs exordiis et incrementis Mantinea informata fuerit, nescimus. Certum est agricolas apud eam dominatos esse [3], urbemque e colle quadam descendisse in planitiem [4] : « Contigua planities est non sane magna : in ea mons ubi ruinæ cernuntur *priscæ Mantineæ;* locus hac etiamnum ætate Πτόλις dicitur. » Nonnullos δήμους diversos in novam Mantineam congregatos esse vix dubitari potest. Sedem meliorem prope amnem quærebant. « Antinoe, Cephei filia,

1. Paus., VIII, 45.
2. Paus., VIII, 44.
3. Arist., *Polit.*, VII (6), ch. II.
4. Paus., VIII, 12

ex quodam oraculo prope amnem civitatem transportavit, serpentem itineris ducem secuta. Ex eo, qui oppidum præterfluit amnis Ophis dicitur. » Δήμους equidem quatuor præcipuos principio fuisse suspicor, quum videam Lacedemonios, oppugnata Mantinea[1], *incolas urbis in quatuor ut quondam vicos divisisse*, ut minus feroci et libero animo uterentur. Agricolas ad antiquos agros relegant. Quod confirmat Strabo. Multos igitur vicos, per planitiem dispersos, ad imos montes præcipue, ni fallor, ætate pelasgica floruisse crediderim, quos in unum collectos, sub Aphidantium auspiciis, Aleus filiique ejus ad civitatis et πόλεως institutionem erexere. Eadem est Atheniensium urbis origo. Rempublicam tandem invenimus quam e parvis rebus et primorum temporum simplicitate ad potentiam et famam magnarum urbium evehi sentimus, in quibus, non Pelasgos, non Aphidantes, non pastores, non agricolas videre est, sed Mantineos et Tegeatas.

§ 4. *Numina regionis.*

Non igitur in urbibus tantum sed extra urbes potius veteris cultus monumenta quærenda sunt : magna vis admonitionis inest in tota planitie, qua ad *Pelasgorum* tempora revocemur. Arcadum vestigia Tegeæ, Mantineæ, et per planitiem impressa sunt. Nulli autem dii proprii in mantinensi et tegeatica planitie adorabantur. Nullum numen novum,

1. Paus., VIII, 8.
2. Xenoph , *Hell.*, V, c. III. — Paus., VIII, 8. — Cf. Strab., p. 331.

cæteræ Arcadiæ ignotum Aphidanes coluisse videntur. Miscentur apud Tegeatas et Mantinenses omnia totius Arcadiæ numina, omnes fabulæ. Regnant una apud eos, vel in planitie, vel in urbe, Ζεύς, Δημήτηρ, Ἄρτεμις, Ἥρα, Ποσειδῶν ἵππιος, Ἀθήνη, Ἑρμῆς αἴπυτος. Celebrantur Lycaon, Arcas, Hercules : Pan solus e montibus descendere non sustinuit ; Adde Æsculapium, qui thelpusianum agrum noluit deserere.

Qui in cætera Arcadia, iidem fere omnes in *Aphidania* dii et heroes ignoti sunt : Κρόνος, Λητὼ, Ἀπόλλων, Ἅδης, Ἥφαιστος, Ἄρης (Dionysum excipio propter fanum Aleæ consecratum) nec statuas habent, nec templa, quæ non recentiora videantur. De Deucalione, Prometheo, Danao, Ægyto, Perseo, Cecrope, Cadmo, Pelope nihil in fabulis aut tegeaticis aut mantinensibus memoratur. Nihil ibi quod non pelasgicum aut arcadicum fuerit, præter ea quæ de Hercule dicebantur.

Sunt tamen apud Pausaniam celebrata quædam, quæ ut nova in Arcadia, quanquam nec a Pelasgis, nec ab Arcadibus aliena, notanda sunt. De Rhea, de Mæra, Atlantis filia, de Anchise sermo erat apud Mantineæ incolas[1]. « A Mantinea stadia triginta absunt rudera, vici cui *Mæræ* nomen, si modo Mæra hoc in loco non in Tegeatarum finibus fuit sepulta. Veri enim quæ de ejus sepulcro dicunt Tegeatæ, quam quæ Mantinenses, similiora videntur : fuisse scilicet Atlantis filiam Mæram, uxorem Tegeatæ apud se humatam[2]. »

1. Cf. Dion. Halic., I, 39.
2. Paus., VIII, 12 ; VIII, 48.

« In altera viarum quæ a Mantinea Orchomenum contendunt Anchisia mons 'Αγχισία ὄρος est, et ad imum montem Anchisæ sepulcrum : adjacent templi quod 'Αφροδίτῃ dicatum fuerat rudera [1]. »

« Supra stadium (in Mantinea regione) mons est Alesium : ab erroribus Rheæ sic appellatum tradunt. Rhea et apud fontem Arne celebrabatur [2]. »

E Phrygia et Bithynia nonnulla in mantineum agrum influxisse dicas : Bithynios ex Arcadia oriundos Mantinenses olim fuisse credebatur [3]. »

§ 5. *De natura mythorum in Aphidania.*

Antiquissimos omnes fere Lycaoniæ, Azaniæ, Elateiæ mythos in Aphidania invenies, sed jam adulteratos mixtosque confuse, non ita tamen ut eos non agnoscas, quanquam et aliquando nomina mutantur. « Post Nestanes ruinas fanum est Δήμητρος : adjacet planities cui Mæras nomen. Ubi paululum processeris, ad alios campos venies : in his fons est nomine *Arne*. Causam nominis talem Arcades prodidere : Rhea cum Neptunum peperisset, puerum in ovile abditum, opilionibus educandum inter agnos tradidit; pro eo vero equinum pullum, quem se enixam simularat, Saturno vorandum obtulit : quia igitur circa hunc fontem

1. Paus., VIII, 12, *in fine*.
2. Paus., VIII, 10.
3. Paus., VIII, 9.
4. Paus., VIII, 23. *Artemidis Ephesiæ Aleæ templum erat.*

agni pascebantur, in quorum grege Neptunum abdiderat Rhea, ab agnis fonti nomen inditum[1]. » Nonne Creticum sentis de Jove mythum et loci cujusdam nomen male explicatum cum fabulis thelpusianis temere mixta fuisse? Haud procul enim Δήμητρος fanum *multæ religionis* erat, in quo Mantinenses festos dies quotannis agitabant. Rheæ nulla statua erecta fuerat. Adjacebat Ποσειδῶνος ἱππίου templum vetus *antiqua religione consecratum*. In *Neptuni* cultu confusio quædam quoque nata erat. Ποσειδῶνος θαλασσίου religionem priori male miscuerant. In templum scilicet, quod sub Alesio monte Agamedes et Trophonius condiderant *tremendum valde incolis*, mare quoddam arcanum, sicut Athenis in Erechtheum, penetrare dicebatur, cujus unda prorumpens filium Hippothoi Æpytum excæcaverat.

De Athene, de Artemide nihil peculiare tradebatur, nisi quod in templo Ἀθήνης Calydonii apri corium ostendebant Tegeatæ.

De Hercule eadem quæ Psophide fabula, mutatis nominibus, celebrabatur. Compressa Lycurgi regis filia, expositus infans aut in arca cum matre conclusus educatusque in regione alia Telephus, de Psophide et Hercule fabulam, sine ulla controversia referunt.

Filias Peliæ, Anchisam novere. Nihil in fabulis externis mutatum. A poetis non a sacerdotibus fictas fabulas illas in vulgus descendisse crediderim. Fæcunda enim poetarum seges primis ætatibus Tegeæ floruisse mihi videtur.

1. Paus., VIII.

§ 6. *Aphidanes.*

Qui vero Aphidanes erant qui principem locum obtinent in fabulis? unde nomen hoc ortum? Quid significationis principio habuit? Multa nos monent sub Aphidantis figura ἔθνος certum latere, parvum sane at constitutum a principio et armis potens, cui 'Αθήνη Alea præcipua dea erat. Qui fiat ut soli inter Arcades vivendi morem habuerint fixum, non vagum ut cæteri et dispersum, nativo aut pacto quodam inter se vinculo conjuncti, non locorum et deorum communione sola, nescimus, nec scire facile est: vim vero in iis percipimus intimam quam nonnulla testantur. Δῆμον illum in primis citare est cui Aphidantes nomen, unde omnes regionis incolæ Aphidanes dicti sunt :

Οἷοι δ' ἔσαν 'Αρκάδες 'Απιδανῆες [1].

Haud aliter ac Pythia *Arcades Azanes* incolas Phigaliæ nominaverat.

Tegea κλῆρος Ἀφειδάντειος appellabatur

Καὶ μὴν Ἀμφιδάμας Κηφεῦς τ' ἴσαν 'Αρκαδίηθεν
Οἵ Τεγέην καὶ κλῆρον 'Αφειδάντειον ἔναιον
Υἷε δύω 'Αλεοῦ [2].

Neque erat in Græcia hoc Ἀφειδαντος nomen insolitum.

1. Apoll. Rh., IV, v, 262.
2. Apoll. Rh. Arg., I, 162.

Non modo Apidanum flumen in Thessalia novimus [1]. Sed Aphidantes, auctore Stephano, partem Epiri obtinebant [2] : Ἀφείδαντες μοῖρα Μολοσσῶν ἀπὸ Ἀφείδαντος βασίλεως. Quæ cum conferam cum testimoniis Pausaniæ, non possum non persuaderi tribum quamdam fuisse inter Arcades Aphidanensem, quæ quum primum Aleam in monte habitaverit, Tegeatidis incolis postea nomen et leges suas imposuerit. Nihil de hac re verisimilius esse potest, quam quæ Pausanias tradidit.

Aphidantum ut Azanum nomine antiqua Græciæ ἔθνη usa esse verisimile est.

§ 7. *Fabulæ cum rebus concordare videntur.*

Fingamus nullas ad nos de *Aphidania* fabulas pervenisse, neque quidquam aliud de antiquo regionis statu posse cognosci, quam quæ e locorun natura, urbium ruinis, numinum cultu et historia recentiori conjicienda sunt : quid, comparatione rerum facta, probabile inde potest oriri ? Quæ sequuntur, ni fallor, in mentem venire debent : primi incolæ Lycaonum more per vicos aut urbes parvas divisi vivebant, quibus Δημήτηρ, Ζεύς, et Ποσειδῶν præcipua erant numina quippe quæ in campis adorari non desierint : Mantinea tunc in colle, non prope amnem, exstabat; Tegea nihil aliud erat quam Δῆμος.

Succedit altera ætas, qua vici antiqui deseruntur, dum

1. Herod., VII.
2. Steph. Byz., s. v. Ἀφείδαντες.

incolæ alii in Tegeam, alii in novam Mantineam prope Ophim conglobantur. Tegeatarum 'Αθήνη maxima dea incipit esse : in finibus extremis regionis eriguntur Artemidis fana, ad quæ Arcades montani una et campestres, quasi fœdere quodam inito, certis diebus coeunt. Ἑστία κοίνη Tegeæ et Mantineæ quasi concordiæ signum instituitur. Quod si locorum quorumdam nomina vetera, aut antiqua monumenta consideraveris, cum Phrygia, Mysia, nec non Thessalia et Ætolia commercium habuisse Tegeatæ videntur.

Planitiei incolæ Aphidanes e Δήμου cujusdam nomine appellantur.

Tertia ætate urbes magnas duas habemus, quæ jam non pelasgicæ, non arcadicæ, græcæ tantum sunt, ubi et arcadica et pelasgica monumenta confuse miscentur. Quibus in rebus nihil est quod non cum fabulis possit congruere.

Fabulis igitur fides quædam adhibenda est, quæ cum rebus non repugnantes clariora multa efficiunt. Unde statuere audemus quæ veritati haud absimilia videntur, Pelasgos Lycaones primum planitiem obtinuisse ubi vitam suam jam supra memoratam degebant, diis, moribus, mythis iisdem utentes. Ingruit interea Arcadum gens : montes circa occupantur ab Aphidantibus quibus numina Artemis, Hermes, Athene. Mox Aphidantes in planitiem descendunt, veteres Δήμους opprimunt, et in civitates duas Mantineam et Tegeam, Aleo et Antinoe auctoribus (qui incertum tribus an viri fuerint) antiquos Pelasgos, una et Arcades institui cogunt, in quibus civita-

tibus primum locum, ut armati, Arcades tenent. Tegeam vero magis Arcadicam, Pelasgicam magis Mantineam mansisse dicas. Ἀθήνη Alea tamen tota planitie regnat. Quanquam vetera numina nunquam in oblivionem cadunt, nec Artemis et Hermes negliguntur, in planitie nunquam multum celebrata sunt.

Hæc ætas heroica fuisse videtur Arcadiæ. Caput totius regionis et Aphidaniæ et Elateiæ et Azaniæ et Lycaoniæ Tegea communi omnium consensu, constituitur. In omni parte obediunt Pelasgi. Arcades montani auxilio sunt. Jam non clausa est Aphidania. Cum Argolide, cum Ætolia fœdera sanxisse videtur. Ad Tegeam omnia confluunt, religiones, fabulæ, dii, maximo humanioris vitæ adjumento. Hæ enim urbes primum locum semper obtinuere, priscis temporibus, ubi incolarum sanguis multis variisque affinitatibus quasi ditior factus est, ut Thebæ, Athenis, Romæ : cæteræ enim Arcadiæ civitates eumdem vitæ cultum sequuntur; Elateiæ incolæ venatui et feritati sese dare non desinunt; antiquam autem auctoritatem omnes exuunt, Pelasgi primi, deinceps Azanes, postremo Arcades montani cum quibus tamen consanguinitate propiori juncti Aphidanes quasi perpetuum habent fœdus, ita ut Elateia seminario militum utantur. Elateiæ incolas ad bellum trojanum duxit Agamemnon. Qui solus stabile quiddam constituit inter Arcades, Aleus progeniem solus habuisse dictus est. Aphidenses soli de imperio communi cogitavisse videntur.

Post bellum autem trojanum et Peloponesi totius perturbationes Tegeam non satis Arcadicam, clausamque visam

esse credas. Arcades aspernantur urbem apertam et vicinam externis. Regia Trapezunte rursus constituitur, dein Basilide temporibus Cypseli ne forsan urbs pelasgica veterum Pelasgorum spem et audaciam augeret; ad veteres fabulas tamen et antiquam familiarum formam rediisse videntur. Aphidania pœne deseritur, de qua Argivi et Lacedemonii inter se contendunt. Arcadia in obscuritatem suam recedit.

CONCLUSIO

Operi meo hic finem imponam, quanquam multa alia de his dicenda sunt; rerum vero summam tantum adumbrare volui ut hæc doctioribus dijudicanda proponerem.

Demonstrare volui, vel saltem efficere ut demonstrari posse videretur, res certas et ad historiam spectantes sub fabulis antiquissimis Arcadiæ occultari, quod et in cæterarum Græciæ regionum fabulis debet inesse.

Ad summam statuere conatus sum, auxiliantibus fabulis, duas in Arcadia gentes floruisse Pelasgorum nempe et Arcadum, sanguine conjunctas, moribus et institutione diversas; quarum prior, postquam tota regione dominata erat, alteri cessit armis potentiori, inferiori autem cultu et humanitate, deinde in planitie tegeatica cum Argivis et Græcia orientali commercium habuit.

Pelasgi primi omnem Arcadiam, quæ Pelasgia tunc dicebatur, obtinent: urbes condunt parvas multas, civitates constituunt, ut pastorum et agricolarum mos est. At quum in unius reipublicæ corpus nunquam coalescere potuissent, ipsum humanioris vitæ cultum mancum, debilemque ha-

buerunt, agrestioribusque fuerunt obnoxii. Itaque cum armati irruissent Arcades, victi et oppressi ad Lycæum Pelasgi confugere coguntur, ubique in Pelasgia, jam Arcadia facta, vestigia sui linquentes, servantes autem et potentiæ pristinæ memoriam, et vitæ genus proprium, et religiones. De iis tamen in historia ut de servis siletur.

Antiqua Pelasgia in duo præcipue ἔθνη divisa erat, Lycaones et Azanes. De Lycaonum conditione nihil fere, de Azanum plura incerta sunt. Lycaonum oppida ad viginti duo novimus, quæ fere omnia pro civitatum capitibus haberi possunt. Religiones, numina, fabulæ Lycaonum non ignorantur.

Azanes multa pelasgica et lycaonica, non nihil arcadicum, præbent. In optimatium potestatem brevi cessisse videntur et equorum copia valuisse. Floruit apud eos Æsculapii cultus. Numina eadem ac Lycaones colunt.

Arcades longe alia vivendi ratione utuntur. Montani, venatores, bellatoresque nec urbes nec civitates condere consueverunt. Dispersi in montibus degunt, nunquam in unum coacti nisi ut ad bellum et vastationem eant: iis quoque mores sui, fabulæ, dii autem minus definiti, ut qui semper in regiones diversas errare consueti essent. Dum in Cyllenes et Aroanii jugis et sylvis vivunt, barbariem suam servant nec πόλεις ullas constituunt. Tribus una in tegeaticam planitiem descendit, Pelasgos in urbem unam compellit victos, et primam veramque in Arcadia rempublicam instituit. Ad Tegeam cuncta confluunt. Tegea regionis totius caput est; cum externis commercium initur; magnæ urbes florere

incipiunt, tandem post bellum trojanum, in illa omnium græcarum rerum confusione, de Lycæi regione rursus mentio est, ubi regia longe a dominationis externæ contactu relegatur.

Non alia memorantur in fabulis. Gentes, ἔθνη, tribus, urbes, regiones, per translationem hominum nominibus significantur; res ipsa eadem manet, specie tantum figuraque mutata. Quæ nobis Arcadiam peragrantibus clariora visa sunt, nec Pausaniæ illud miror quod iterum referre concludenti placet. Ἐς τὰ Ἀρκάδων προσεληλυθὼς, πρόνοιαν τοιάνδε ἐλάμβανον· Ἑλλήνων τοὺς νομιζομένους σοφοὺς δι' αἰνιγμάτων πάλαι, καὶ οὐκ ἐκ τοῦ εὐθέος λέγειν τοὺς λόγους.

19 mai 1859.

Alexandre BERTRAND.

Vidi ac perlegi,

Lutetiæ Parisiorum, in Sorbona, non. aug. ann. M DCCC LI

Facultatis litterarum in Academia Parisiensi decanus

J. Vict. LE CLERC.

Typis mandetur.

Studiorum inspector, procurandis Academiæ Parisiensis rebus præpositus

ARTAUD.

Paris. — Imprimerie de Pillet fils aîné, rue des Grands-Augustins, 5.



